DE ARGUMENTORUM INVENTIONE LIBRI DUO,

N.6.37

Quorum prior agit de

INVENTIONE LOGICA,

ALTER DE

INVENTIONE RHETORICA,

In Studioſæ

Juventutis tam Scholaſticæ quàm Academicæ Uſum conſcripti.

Ab Authore *Guilielmo Walker* Scholæ *Granthamienſis* in Agro *Lincolnienſi* Magiſtro.

—*de inventione primâ ac maximâ parte Rhetoricæ* ſatis, &c. Cic. De Inv. l. 2.

LONDINI,

Typis *J. Macock*, impenſis *Joſephi Clark*, ſub ſigno Stellæ in vico vulgò vocato Little-Britain. 1672.

3164:11

Viro cum primis Reverendo

Dno ROBERTO MAPLETOFT,

S. T. P.

Decano *Elienſi*,

Aulæ Pembrochianæ Præſidi,

Celeberrimæque

Cantabrigienſis Academiæ

PROCANCELLARIO

Guilielmus Walker Omnimodam

precatur Felicitatem.

Venerande Domine,

QUI præclarorum nomina virorum libris ſuis inſcribunt, hoc ferè faciunt, vel ut eo ipſi pacto inclareſcant, vel ut aliorum Virtutes ſuis Elogiis prædicent, vel ut quoddam ſuæ erga Mecænates ſuos gratitudinis teſtimonium edant. Ad dedicandum hunc meum Tuo nomini libellum his ego omnibus ſum rationibus adductus. Nam primùm cum ſit *melius bonum nomen, quàm unguenta pretioſa*, ut aiebat olim regius ille atque divinitus inſpiratus Eccleſiaſtes (*c* 7. *v.* 1.) nullâ vel certiore, vel magis compendiariâ viâ bonum mihi *Nomen* conciliaturus videor, quàm ſi quid agam,

quo bonis innotescat viris, esse me in Tuam receptum & gratiam & amicitiam. Quo quidem majorem nullam mihi in terris gloriam opto, nullum mihi ampliorem honorem ambio. Deinde, quod ad *Virtutes* Tuas spectat, is Tu Vir es, cujus laudes ut nec possum tacere sine injuriâ, ita nec dicere sine invidiâ; quippe in quo dubium sit, justiorne sis an fortior, prudentior, an temperantior, religiosior, an doctior; & qui in Seculo Tuo *Seculi non Tui* homo es, sed *Primitivi* planè atque *Apostolici*, cujus *Patrem* aliquem sanctiorem non *Vultu* magis quàm *Vitâ* refers. Eâ denique me dignatus es gratiâ, iis me affeciſti *beneficiis*, ut, si pari meritis Tuis munere Te velim colere, ampliſſimum, &, si fieri posset, æternum, sit Nomini Tuo à me statuendum Gratitudinis Monumentum. Unicum jam, ut nè Tibi meo vel officio nimiùm sim molestus, restat, nempe ut Te orem, utinam & exorem, ut minutulum hoc quale quale, grati erga Te animi Testimonium boni consulas. Quod si feceris, arctiori adhuc vinculo eum Tibi astringes, qui jam diu fuit, æternùm erit

Granthamiæ, Cal. Feb. 17mo Ann. Dom. 1671mo

Reverentiæ Tuæ

Servulus

Addictiſſimus, devinctiſſimus

Guilielmus Walker.

Præfatio ad Lectorem.

Lector Candide,

QUum plurima ad rem literariam Adjumenta *invenerit atq; attulerit hæc ætas nostra, quibus immensum quantum promovetur juventutis nostræ profectus in studiis, adhuc tamen aliquod mihi deesse videbatur puerorum manibus terendum opus, quo Scholastica qui scribunt exercitia* ad inveniendum *aptam scribendo* materiam *adjuvarentur. Hinc quorundam quidem exercitia discipulorum jejuna exiſtunt penitus & ex succa, longioribus fortasſean loquendi phrasibus perorandiq; formulis producta, sed omni omninò idoneâ ad dicendum materiâ destituta, totaq; ferè ex dictis nihil ad propositum facientibus conficta, aliorum verò, quanta quanta mera sunt furta & latrocinia, nec aliud quicquam præ se ferentia, quàm miscellaneam quandam suppilatorum ex* Communium Locorum *Scriptoribus* excmplorum, similitudinum, sententiarumq; *farraginem. Quin & eorum qui vel optimè scribunt Epistolæ, Themata, Orationculæ, quid plerunq; aliud sunt, quàm ex Authorum undecunq; omnium sì sculis & sententiolis consuti quasi, & expannicu-lis consarcinati centones? Hinc Præceptores quotidie ferè per pueros malè vexantur, & pueri vicissim à Præceptoribus malè habentur. Quod quidem cum animo contemplor meo, non dissimilis videtur mihi* Puerorum ratio in Schola, atque

olim fuit conditio Israelitarum *in* Ægypto. *Illic impositum viris laterum coquendorum onus, substractum, quo coquerentur,* stramen: *hic præcipiuntur pueris conficienda exercitia, non adhibitâ interim illis, quâ conficerentur,* Materiâ. *Atq; ut illic præ sævitiâ Tyranni exigentis opera, negantis paleas,* dispersus est populus per omnem terram Ægypti ad colligendas paleas, *sic quibusdam in Scholis, per Ægyptiacam verè tyrannidem Præceptorum imponentium pueris conscribenda exercitia, non administrantium illis ullam Argumentorum Inveniendorum rationem, quâ suppeteret illis scribendi materia, coguntur pueri omnes omnium librorum conquirere indices & repertoria, & magno temporis & laboris dispendio, undecunq; possint aliquid corradere & colligere, sua quo exercitia suffarcinent, & Operum molem, tanquam* laterum mensuram *expleant. Cui ego malo medicam volens adhibere manum, hoc à me confectum, de Argumentorum Inventione opusculum in publicum emisi, quo semper esset pueris exercitia scribentibus aliquid ad manum, cujus adminiculo & moderamine sic dirigantur & instruantur, ut suopte possint ingenio quovis de Themate aptè differere, nec esset necesse illis, quotiescunq; aliquid scribendum foret per tot Scriptorum volumina distrahi & dispergi, ad conquirenda hinc inde Scripturis suis* Scintilla, *tanquam Israelitæ per Ægyptiorum arva ad colligendas conficiendis lateribus* stipulas. *Neq; tamen hoc à me sic dictum existimari velim, quasi ego mihi*

omnium

omnium primus mortalium videar, qui hujuſmodi aliquid Adjumenti inverterim, atq; in lucem protulerim; abſit à me omnis iſtiuſmodi jactantia. Scripſerunt quippe de Inveniendi Argumentorum ratione Ariſtoteles, Cicero, Quintilianus, Scheiblerus, Burgerſdicius, Cauſſinus, Voſſius, Farnabius, Butlerus, *aliiq; (ferè omnes qui vel de Logicâ, vel de Oratoriâ ſcripſerunt) quorum ex operibus* tranſumpta *ſunt, &* tranſcripta *pleraq; hæc omnia quæ mundo exhibeo. Verùm cum ita comparata res erat, ut apud hos nimis fusè, (nè dicam confusè) tractaretur Argumentorum Inventione, apud illos nimis preſsè atq; arctè compingeretur, à nullo de utrâq; Argumentorum Inveniendi ratione, tam Logicâ, quàm Rhetoricâ, eodem ſaltem opere, ſcriberetur, cum tamen eſſet utraq; ad Inveniendam ſcribendi Materiam ſcribentibus perquam neceſſaria, rem Juventuti noſtræ, tam* Scholaſticæ, *quàm* Academicæ, *gratam præſtiturus videbar, ſi utramq; Inventionis Methodum, tam* Dialecticam, *quàm* Rhetoricam, *in unum aliquod opus coarctarem, itaq; illud ſtudioſorum uſui contemperarem, ut vel* Puerili *eſſet captui quam poſſet maximè accommodatum. Quod quidem an, proinde atq; ſum anniſus, præſtiterim, liberum eſto apud alios judicium. Poterunt quidem adverſum hæc, ut adverſum omnia, quædam ab aliter ſentientibus objici: nempe* nimium Logicæ *eſſe à me in Scholis inducium; non eſſe paria* Logicorum Maximis *intelligendis puerorum in-*

genia.

genia. Verùm me perparum ista movent, nec ab instituto opere deterrent. Neque enim ista Scholasticis *tantummodo Eloquentiæ candidatis scribuntur, verùm etiam* Academicis. *Nec est plus à me Logicæ introductum in Scholas, quàm* Scholasticis *esset usui (ut nè dicam* necessarium) *componendis* Exercitiis. *Et, ut quædam ea sint, quibus quorundam puerorum captus superetur, eóne cæteri illis studiorum auxiliis privabuntur, quibus in suo studendi curriculo quàm maximè promoveantur? Imò verò capiant opere ex hoc nostro emolumentum, quicunque possint, & quantumcunque capere poterunt. Si cui arriserit, si cui id utile atque acceptum erit quod præstiti, non eo parum delectabor: Sin erit qui improbet atq; rejiciat, non eo nimis commovebor: cum ita hominum sint ingenia, ut* non omnes eadem admirentur, *atque in deliciis habeant. Tu, Candide Lector, hæc boni consule, &, nè tibi pluribus sim molestus, bene vale.*

DE INVENTIONE LOGICA.

CAPUT I.

Quid Inventio, Argumentum, Locus; Locorum & Argumentorum Divisio.

Inventio est excogitatio argumentorum, quæ ad persuadendum idonea sunt.

Argumentum est probabile inventum ad faciendam fidem.

Argumenta è *locis* petuntur.

Locus est sedes & nota quædam communis, cujus admonitu argumentum invenitur.

Loci duplices sunt, alii *Logici*, alii *Rhetorici*.

Loci *Logici* sunt illi, ex quibus *Dialectici* argumenta *Logica* petunt.

Argumenta ſunt duplicia : *Artificialia*, & *Inartificialia*.

Argumenta *Artificialia* ſunt, quæ ex conſideratione partium problematis ſecundum quaſdam regulas ſive canones non ſine Arte eliciuntur.

Argumenta *Inartificialia* ſunt, quorum Inventio non requirit Artem, ut quæ aliud nihil ſint, quàm Teſtimonia.

Argumenta Artificialia vel ſunt *Abſoluta*, vel *Comparata*.

Argumenta *Abſoluta* vel ſunt *Conſentanea*, vel *Diſſentanea*.

Argumenta *conſentanea* ſunt, quæ cum aliquâ quæſtionis parte conſentiunt.

Argumenta *conſentanea* vel à rei *nomine*, vel ab ipsâ *reducuntur*.

Argumentorum à *nomine* ductorum loci duo ſunt. *Notatio* & *Conjugata*.

Argumentorum conſentaneorum, quæ à *re* ducuntur, novem ſunt loci, *Definitio*, *Genus*, *Species*, *Totum*, *Pars*, *Cauſa*, *Cauſatum*, *Subjectum*, & *Adjunctum*.

Argumenta *diſſentanea* ſunt, quæ ſumuntur ab oppoſitis.

Argumentorum diſſentaneorum loci ſunt quinque, *Diſparata*, *Contraria*, *Relata*, *Privantia*, *Contradicentia*.

Argumentorum *comparatorum* quinque ſunt

sunt loci; *Majora*, *Minora*, *Paria*, *Similia* & *Dissimilia*.

Testimonia vel sunt *Divina*, vel *Humana*.

Agendum primò de Argumentis *Artificialibus*, iisque à locis consentaneis.

CAPUT II.

De loco à Notatione sive Etymologiâ.

Notatio sive Etymologia est ratio vocis in significando ex origine delarata. Ut *homo* dicitur ab *humo*.

Canones hujus Loci sunt

(1) *Cui convenit Etymologia nominis, ei convenit & nomen.*

Ex hoc canone probari potest quis servâsse *fidem*, nempe quod *fecerit id quod dictum fuerat*: quum inde vel *Cicerone* teste, appellata sit *fides*, *quia fit quod dictum est*; Hac ratione; Qui fecit id quod dictum est, servavit fidem. Titius fecit id quod dictum erat. Ergo Titius servavit fidem.

(2) *Cui Etymologia nominis non convenit, ei neque nomen convenit.*

Sic probes bovem non rectè dici *leporem*, quod non sit *levis pedibus*, unde lepus dicitur.

(3) *Cui convenit nomen, ei etiam convenit Etymologia nominis.*

Ut est *homo*, ergo ab *humo* ortum ducit.

CAPUT III.

De Loco à Conjugatis.

Conjugata sunt, quæ vocis & significationis affinitate juncta terminatione differunt. Ut *Sapiens, sapienter, sapientia.*

Hujus Loci Canones Absoluti sunt

(1) *Cui unum conjugatorum convenit, ei convenit & alterum.*

Ut, si *compascuus* est ager, jus est *compascere.* Qui exercet *justitiam*, *justus* est. (1 Joh. 3. 7.) *Sapienter* agit: ergo *sapiens* est.

(2) *Cui unum conjugatorum non convenit, ei neque alterum convenit.*

Ut, si non *consulit* reipublicæ, non est *consul.* Qui *justitiam* non exercet, *justus* non est. Non agit *sapienter*, ergo *sapiens* non est.

(3) *Conjugatorum sunt conjugata consequentia.*

Ut, Logicus ea facit, quæ *artis* regulis reguntur; ergo Logica est *Ars.* Si *justitia* est *scientia*, tum *justè* facere, est facere *scienter.*

(4) *Conju-*

(4) *Conjugata contrariorum inter se contraria sunt.*

Ut; *sanitas* & *ægritudo* sunt contraria; ergo *sanum esse*, & *ægrum esse* sunt contraria.

Canones Comparati.

(1) *Cui unum conjugatum magis convenit, ei & alterum magis convenit.*

Ut, Is *magis* est *consul*, qui *magis* reipublicæ *consulit*. Cæsar *magis consulit* reipublicæ, quàm Bibulus. Ergo Cæsar *magis erat consul*, quàm Bibulus.

(2) *Si unum conjugatum uno præstantius est, & alterum altero est præstantius.*

Ut, Si *pietas* est præstantior *eruditione*, tum præstat *pium* esse, quàm *eruditum*.

CAPUT IV.

De Loco à Definitione.

Definitio est oratio declarans quid sit id, quod definitur.

Definitum est id, quod definitione declaratur.

Ut, cum definitur homo esse animal rationale, definitum est *homo*; definitio, est *animal rationale*.

Loci hujus Canones Absoluti sunt.

(1) *Cui convenit definitio, ei convenit & definitum.*

Ut, si Socrates est *animal rationale*, est *homo*. *Hominis* enim definitio est, quod sit *animal rationale*.

(2) *Cui definitio non convenit, ei neque definitum convenit.*

Ut, Simia non est *homo*, quia non est *animal rationale*.

(3) *Quod convenit definitioni, etiam convenit definito.*

Ut, si animal rationale est *visibile*, tum homo est *visibilis*.

(4) *Quod definitioni non convenit, neque definito convenit.*

Ut, si animal rationale non est brutum, tum homo brutum non est.

Canones Comparati.

(1) *Cui definitio magis convenit, ei magis quoque definitum convenit.*

Ut, si albor definiatur color disgregans visum, tum sequetur id esse alio magis album, quod alio magis disgregat visum.

(2) *Quod magis convenit definitioni, id magis convenit definito.* Ut

Ut, ſi virtus definiatur habitus revocans affectus animi, & actiones noſtras ad mediocritatem: tum ſequetur inde, quòd ſi talis habitus magis conferat ad felicitatem, quàm divitiæ, tum magis ad felicitatem conferet virtus, cujus iſta eſt definitio, quàm divitiæ, quibus iſta definitio non competit.

CAPUT V.

De Loco à Genere.

Genus eſt, quod de pluribus & ſpecie differentibus prædicatur in quæſtione, quid quæritur quid res ſit,

Ut, cum quærenti, quid eſt homo? reſpondetur, homo eſt animal, liquet animal eſſe genus hominis: nempe quia quærenti item, quid eſt beſtia? quæ ſpecie differt ab homine, reſponderi item poteſt, quod ſit animal.

Canones Abſoluti hujus loci.

(1) *Quod universè de genere affirmatur, id etiam affirmatur de ſpeciebus.*

Ut, quoniam de animali affirmatur universè, quod ſit mortale, affirmari poteſt de omnibus animalis ſpeciebus, quod mortales

sunt, tam homo, quàm bestia; tam piscis, quàm avis. Item omnis sensus errare potest: ergo & visus potest errare.

(2) *Quod universè negatur de genere, id negatur etiam de speciebus.*

Ut, quoniam universè de animali negatur, quòd sit immortale: ergo negari potest de homine, de bestiâ, de omnibus animalis speciebus, quòd immortales sunt.

(3) *Sublato genere tollitur species; sive cui adimitur genus, ei & species adimitur.*

Ut, si statua non est animal, non est homo.

Canones Comparati.

(1) *Quod generi magis convenit, magis etiam convenit speciebus.*

Ut, si substantia immaterialis perspicacior est corpore, anima hominis separata perspicacior est, quàm in corpore.

(2) *Quod continetur sub præstantiori genere, id ipsum est præstantius.*

Ut, quia vivens nobilius est non vivente, ideo musca nobilior est quàm cœlum.

CAPUT

CAPUT VI.

De Loco à Specie.

Species est, cuæ de pluribus & numero differentibus prædicatur in quæstione, quâ quæritur quid res sit.

Ut, quærenti quid est Alexander, aut Aristoteles? respondetur, homo est.

Absoluti hujus loci Canones.

(1) *Positâ specie, ponitur genus; sive cui tribuitur species, ei etiam tribuitur genus.*

De quo enim affirmari potest, quòd sit homo, de eodem potest affirmari, quod sit animal.

(2) *Sublatis omnibus speciebus tollitur genus; sive cui adimuntur omnes species, ei & genus adimitur.*

Ut, amicitia non est fortitudo, non temperantia, non justitia, non prudentia; ergo non est virtus.

(3) *Quod convenit omnibus speciebus, convenit etiam generi.*

Ut, amicitia necessaria est divitibus, pauperibus, senibus, adolescentibus, iis qui in vigore

gore ætatis sunt; ergo est necessaria omnibus hominibus.

(4) *Quod nulli speciei convenit, id neque generi convenit.*

Ut, si neque visui, nec auditui, nec obfactui, nec tactui, nec gustui convenit, ut errore sit immunis, nulli id sensui convenit, ut sit errore immunis.

Canones Comparati.

(1) *Quod magis convenit speciei, etiam magis convenit individuis.*

Ut, si homo magis est rationis capax, quàm brutum, Sosta est intelligentior Bucephalo.

(2) *Quod continetur sub præstantiori specie, id ipsum est præstantius.*

Ut, quia homo est nobilior bruto, ideo Irus est nobilior Bucephalo.

CAPUT VII.

De Locis à Toto & Partibus.

TOtum est, quod ex rebus aptè inter se unitis constat.

Partes sunt res illæ, ex quibus aptè inter se unitis constat totum. *Totum*

Totum aliud est similare, aliud dissimilare.

Totum simil are est, cujus omnes partes ejusdem sunt cum toto nominis ac naturæ. Ut

Ut, aqua, vinum, tempus : quælibet enim particula aquæ aqua est, vini vinum, temporis tempus.

Totum dissimilare est, cujus nonnullæ partes diversi sunt à toto nominis ac naturæ.

Ut, corpus humanum : hujus enim nullum membrum dicitur corpus, sed aliud caput, aliud pes, aliud manus, &c. Sic exercitus, cujus singulæ partes aliis atq; aliis vocantur nominibus : alius enim est dux, alius tribunus, alius centurio, alius miles, &c.

Totius dissimilaris pars alia principalis dicitur, alia minus principalis.

Pars principalis dicitur, quâ ablatâ totum interit.

Ut, humani corporis partes principales sunt caput, cor, jecur : his enim ablatis interit homo.

Pars minus principales dicitur, quâ ablatâ totum non interit quidem, sed mutilatur.

Ut, auris, manus, pes ; his enim ablatis mutilatur quidem corpus, sed non interit.

Canones Absoluti Locorum à Toto & Partibus.

(1) *Posito toto ponuntur omnes partes principales ; sive cui tribuitur totum, ei etiam tribuuntur omnes partes principales.*

Ut, posito homine, ponitur corpus & anima ; quin & posito corpore humano, ponitur

tur caput, cor, hepar, ventriculus.

(2) *Quod convenit toti similari, convenit etiam singulis partibus.*

Ut, aqua naturâ suâ humida est: ergo humida est & quælibet aquæ guttula.

(3) *Quod toti similari non convenit, nulli partium convenit.*

Ut, cœlum non est corruptabile: ergo nec stellæ sunt corruptabiles.

(4) *Positis omnibus partibus atque unitis, ponitur totum.*

Ut, posuit fundamentum, parietes, tectum, cæterasq; domus partes, omnesq; aptè inter se unitas; ergo domum posuit.

(5) *Sublatâ parte principali tollitur totum.*

Ut, separatâ à corpore animâ, tollitur homo; ablato à corpore humano capite, tollitur corpus.

(6) *Quod convenit omnibus partibus, etiam convenit toti.*

Ut, eleganter scriptum est Orationis exordium, propositio, confirmatio, refutatio, conclusio; ergo eleganter scripta est tota oratio.

(7) *Quod nulli parti convenit, id etiam toti non convenit.*

Ut, nulla est exordii elegantia, nulla propositionis, nulla confirmationis, nulla refutationis.

tionis, nulla conclusionis: ergo & orationis elegantia nulla est.

(8) *Quod convenit parti similari, etiam convenit toti.*

Ut, unaquæq; sacchari particula dulcis est; ergo dulce est saccharum.

(9) *Quod parti similari non convenit, id neque convenit toti.*

Ut, ignis nulla pars humida est; ergo nec ignis est humidus.

Canones Comparati.

(1) *Si aliud totum similare est magis tale alio toto, etiam pars illius est magis talis parte hujus.*

Ut, si aurum est naturâ suâ gravius ære, quælibet auri particula gravior erit quâlibet particulâ æris, quæ magnitudinis ejusdem sit.

(2) *Si pars alicujus totius similaris est magis talis parte alterius, & totum alterum est magis tale altero.*

Ut, si quælibet auri particula sit gravior quâlibet particulâ æris, quæ ejusdem sit magnitudinis, tum gravius est aurum quàm æs.

(3) *Quod absolutè tale est, aut aliquid efficit, ut tale sit, illius totum magis tale est, magisq; efficit, ut aliquid tale sit, quàm pars.*

Ut,

Ut, ſi mel habet vim dulcorandi, majorem dulcorandi vim habebit mellis pondo, quàm ſemiſſis.

Sub hâc generali maximâ multæ ſpeciales continentur.

(1) *Plura bona paucioribus anteponenda ſunt.*

Ut, virtus cum nobilitate præſtantior eſt virtute ſola.

(2) *Quod honeſtum, jucundum, utile eſt, id melius eſt eo, quod honeſtum, jucundum, aut utile tantum eſt.*

(3) *Quod bonum ſuo acceſſu auget, aut abſceſſu minuit, id melius eſt eo, quod bonum acceſſu ſuo non auget, aut abſceſſu ſuo non minuit.*

(4) *Quo quid bonum acceſſu ſuo magis auget, aut abſceſſu magis minuit, eo melius eſt.*

CAPUT VIII.

De Loco à Cauſis in genere.

CAuſa id dicitur, cujus vi res alia eſt; hoc eſt, quod aliquid ad alterius rei exiſtentiam confert.

Quod â causâ conſtituitur, id cauſatum dicitur.

Cauſæ

Causæ ſunt quatuor, materia, forma, efficiens, finis.

Hujus Loci Canones.

(1) *Poſitâ causâ in actu, neceſſe eſt poni cauſatum.*

Ut, ſi fabri ædificant, domus ædificatur.

N. Cauſa in actu eſſe dicitur, quæ cauſat, & quando cauſat, ſive munus atq; cauſalitatem ſuam exercet.

(2) *Poſito cauſato, neceſſe eſt poni cauſam in actu eſſe vel fuiſſe.*

Ut, domus eſt; ergo ſunt, vel fuerunt, qui illam ædificarent. Mundus creatus eſt; ergo dandus eſt, qui eum crearet, Deus.

CAPUT IX.

De Loco à Materia.

Materia eſt cauſa interna, ex quâ aliquid fit, aut conſtat.

Ut, elementa ſunt materia ex quâ corpora fiunt: lignum eſt materia, ex quâ ſcamnum fit, & conſtat.

Hujus Loci Canones Abſoluti.

(1) *Sublatâ materiâ tollitur compoſitum, & forma materialis.*

Ut, ubi nec ſunt ligna, nec lapides, ibi non ſunt extructæ domus. N. *For-*

N. *Formæ materiales sunt omnes corporeæ formæ.*

(2) *Qualis materia, tale compositum.*

Ut, statua est ex auro conflata, ergo ipsa est aurea.

N. Hic canon tantum obtinet in rebus ab *arte factis*: in *naturalibus* est fallax.

Canon Comparatus.

(1) *Cujus materia est magis talis, illud ipsum est magis tale.*

Ut, si aurum est pretiosius ære, nummus aureus pretiosior erit nummo æreo.

CAPUT X.

De Loco à Formâ.

Forma est causa interna, per quam res est id, quod est, i. e. *est hujus, aut illius speciei.*

Ut, per animam, quæ est hominis forma, homo est homo: non tantùm per corpus: nam corpus hominis animâ non humana animatum, sed animâ bruti, bruti fortè speciem aliquam constitueret, non hominem.

N. *Forma est ea compositi pars, quæ cum materiâ unum quid per se constituit.*

Hujus

Hujus Loci Canones Abſoluti.

(1) *Poſitâ formâ ponitur compoſitum.*
Ut, Nanus habet animam rationalem; ergo homo eſt.

(2) *Sublatâ formâ tollitur compoſitum.*
Ut, Simia non habet animam rationalem; ergo non eſt homo.

Canon Comparatus.

(1) *Quod habet nobiliorem formam, id ipſum nobilius eſt.*
Ut, humana anima præſtantior eſt animâ bruti; ergo homo brutis præſtantior eſt.

CAPUT XI.

De Loco ab Efficiente.

Cauſa efficiens eſt cauſa externa, à quâ res verâ cauſalitate proficiſcitur.
Ut, ignis cauſat calorem in ligno, verè agendo in illud.

Cauſa efficiens duplex eſt, Proxima & Remota.

Cauſa proxima eſt, quæ producit effectum immediatè.

Ut, pater eſt proxima cauſa filii.

Cauſa remota eſt, quæ producit effectum mediâ cauſâ propinquere: ut avus eſt cauſa remota nepotis.

Item Cauſa efficiens, vel eſt cauſa per ſe, vel cauſa per accidens.

Cauſa per ſe eſt, quæ quatenus talis, producit effectum conſilio ſuo, aut propenſioni naturali conveniens. Ut pater generans filium, eſt cauſa per ſe filii generati; Et architectus domum ædificans, eſt cauſa per ſe ædificatæ domûs.

Cauſa per accidens eſt, quæ non producit effectum quâ talis eſt, aut quæ producit effectum præter conſilium, aut naturæ ſuæ propenſionem. Ut cum hortulanus terram fodiens invenit theſaurum; vel cum animal generat monſtrum; accedit enim ut ille theſaurum inveniret, hoc monſtrum generaret. Sic cum Orator pangit poema, non enim carmina facit quâ Orator eſt, ſed quatenus Poeta.

Item Cauſa efficiens vel eſt Univoca, vel Æquivoca.

Univoca.] *Cauſa Univoca eſt, quæ eſt ejuſdem denominationis & rationis cum ſuo effectu; ſeu quæ effectum producit ejuſdem ſecum ſpeciei.* Ut homo generans hominem.

Æquivoca.] *Cauſa Æquivoca eſt, quæ non eſt ejuſdem rationis & denominationis cum ſuo*

ſuo effectu; ſeu, quæ effectum producit diverſæ à ſe ſpeciei. Ut ſol reſpectu animalium, quæ ex putri materiâ generat.

Deniq; Cauſa alia eſt Libera, alia Neceſſaria.

Cauſa libera eſt, quæ conſulto agit, quicquid, & quantum, & quando lubet. Ut ſcriptor, vel pictor reſpectu ſcripturæ aut picturæ.

Cauſa neceſſaria eſt, quæ non agit conſulto, ſed neceſſitate naturæ cauſat. Ut ignis reſpectu calefactionis.

Canones Abſoluti hujus Loci.

(1) *Qualis cauſa talis effectus.*

Ut, Deus bonus eſt; ergo ejus opera ſunt bona.

N. Hic Canon fallit in *cauſis per accidens*, in cauſis *æquivocis*, & in cauſis *voluntariis*.

(2) *Quod eſt cauſa cauſæ, eſt etiam cauſa cauſati.*

Vt, qui eſt cauſa belli, eſt cauſa cædium in bello perpetratarum.

(3) *Poſitâ causâ proximâ ponitur effectum.*

Ut, homo eſt præditus ratione; ergo eſt capax ſcientiæ.

(4) *Sublatâ causâ proximâ tollitur effectum.*

Ut, terra non interponitur inter ſolem & lunam; ergo luna non patitur eclipſin. Sic beſtia non eſt prædita ratione; ergo ſcientiæ capax non eſt.

(5) *Sublatâ causâ remotâ tollitur effectum.*

Ut, de quo non poteſt dici, quod habuerit avum, de illo dici non poteſt, quod ſit nepos; ut de Caino & Abele. Sic ſublatâ agriculturâ non erit panis.

Canones Comparati.

(1) *Quod per ſe eſt tale, illud eſt magis tale, quàm id quod per accidens eſt tale.*

Ut, cibus eſt ſalubrior Pharmacis, quia ille per ſe ſalubris eſt, pharmaca per accidens.

(2) *Quod ſimpliciter eſt tale, illud eſt magis tale, quàm id quod ſecundum quid eſt tale.*

Ut, lux eſt utilior tenebris: quia lux omnibus utilis eſt, tenebræ furibus tantùm, aut iis qui latere volunt.

(3) *Quod naturâ ſuâ eſt tale, illud eſt magis tale, quàm id quod per participationem eſt tale.*

Ut, ſol ſplendidior eſt lunâ, quia ſol naturâ ſuâ ſplendet, at luna per participationem lucis à ſole derivatæ.

(4) *Quod*

(4) *Quod per se ac naturâ suâ magis tale est, illud efficit magis.*

Ut, ignis calefacit magis quàm aqua calefacta, quia est ipse illâ calidior.

(5) *Quod efficit magis, illud per se ac sub naturâ magis tale est.*

Ut, ferrum celeriùs descendit quàm lignum; ergo ferrum est gravius ligno.

N. Hic Canon tantùm adhiberi potest in *causis per se*: in *causis enim per accidens* fallit.

(6) *Cui causa magis convenit, ei magis convenit effectum.*

Ut, senes majorem habent rerum experientiam, quàm juvenes; ergo senes prudentiores sunt juvenibus.

(7) *Cui effectum magis convenit, ei magis convenit causa.*

Ut, senes prudentiores sunt juvenibus; ergo majorem habent rerum experientiam.

(8) *Propter quod unumquodque est tale, illud est magis tale.*

Ut, aqua calida est propter ignem; ergo ignis magis est calidus aquâ.

N. Hic Canon fallit (1) *in causis per accidens*, & in causis *æquivocis*. (2) *In effectis quæ non recipiunt magis & minus.* (3) In effectis *quæ non pendent ab unâ causâ.*

(9) *Quorum operatio, opus, effectum, aut usus melior est, ea ipsa meliora sunt.*

Ut, mens præstantior est sensu, quia illius operatio præstantior est. Sic Architectonica præstantior est Sutoriâ, quia domus præstantius est opus, quàm calceus. Sic virtus præstantior est divitiis; quia illius usus ad animum pertinet, harum ad corpus.

(10) *Quantò alicujus operatio, opus, effectum, aut usus melior est, tantò & ipsum melius est.*

Ut, tantò præstantior est cæna Dominica cœnâ vulgari, quantò est præstantius ut anima nutriatur, quàm ut corpus pascatur.

CAPUT XII.

De Loco à Fine.

Finis est id, cujus gratiâ res est; sive est causa externa, quæ sui amore efficientem incitat ad agendum, & ad sui consecutionem.

Ut, bona habitudo corporis gymnastis est causa exercitionum; hujus enim gratiâ illis illi se exercitiis exercent.

N. *Res illæ, quarum interventu ac ope pervenitur ad finem, dicuntur Media.*

Canon

Canon hujus loci Absolutus.

(1) *Posito fine ponuntur media ad finem.*

Ut, servandi sunt aliqui ex omnibus gentibus; ergo omnibus gentibus prædicandum est Evangelium, quod est medium salutis.

Canones Comparati.

(1) *Cui magis convenit finis, ei magis conveniunt media.*

Ut, Cajus doctior est Titio; ergo habet plus ingenii, librorum, otii, industriæ, quàm Titius.

(2) *Cui magis conveniunt media, huic magis convenit finis.*

Ut, Cajus habet plus ingenii, librorum, otii, industriæ, quàm Titius; ergo Cajus Titio doctior est.

(3) *Finis est præstantior mediis.*

Ut, sanitas præstantior est medicinâ, cujus ope conservatur, aut reparatur sanitas.

(4) *Quod propter se expetitur, melius est eo, quod expetitur propter illud.*

Ut, eruditio melior est bibliothecâ: nam eruditio expetitur propter se, at bibliotheca propter eruditionem.

(5) *Quod propter se expetitur, melius est eo, quod expetitur propter illud.*

Ut, amici meliores sunt divitiis, quia amici expetuntur propter se, at divitiæ propter alia, nempe ut habeant unde amicos parent, &c.

(6) *Quod propter se expetitur, melius est eo, quod expetitur propter opinionem.*

Ut, valetudo melior est pulchritudine: nam valetudo expetitur propter se, at pulchritudo, ut alii de nobis bene opinentur.

(7) *Quod propius accedit ad finem, melius est.*

Ut, Ars imperatoria præstantior est equestri, quia propiùs accedit ad victoriam,

(8) *Quod ad meliorem refertur finem, id melius est.*

Ut, ministerium Evangelicum est præstantius arte medicinæ, quia illud refertur ad salutem animæ, hoc ad sanitatem corporis; at salus animæ præstantior est sanitate corporis.

CAPUT XIII.

De Loco à Causato.

Causatum id dicitur, quod â causâ constituitur.

Canones hujus Loci.

(1) *Posito compositio ponitur materia & forma.*

Ut,

Ut, Socrates eſt homo; ergo habet animam rationalem corpori humano unitam.

(2) *Sublato compoſito, tollitur forma materialis.*

Ut, lapides non vivunt; ergo non habent animam.

(3) *Poſito effectu, ponitur cauſam efficientem eſſe, aut fuiſſe.*

Ut, eſt filius; ergo habet, aut habuit patrem. Eſt ædificium; ergo eſt, aut fuit architectus.

(4) *Sublato effectu, tollitur cauſa proxima.*

Ut, non eſt eclipſis Lunæ; ergo terra non interponitur inter Solem & Lunam.

(5) *Qualis effectus, talis cauſa.*

Ut, pictura eſt elegans; ergo eſt à perito artifice depicta. Admirabilis eſt mundi fabrica; ergo admirandus eſt ille, qui mundum fabricavit, Deus.

(6) *Sublatis mediis, tollitur finis.*

Ut, lapides non nutriuntur; ergo non vivunt.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Loco à Subjecto.

Subjectum est, cui aliquid præter essentiam adjungitur.

Ut, anima est subjectum scientiæ; corpus armaturæ.

Canones Absoluti hujus Loci.

(1) *Posito subjecto, ponitur proprietas.*

Ut, homo est; ergo visibilis est. Sic, Christus est Deus; ergo habet potestatem remittendi peccata.

(2) *Sublato subjecto, tollitur proprietas.*

Ut, non est corpus; ergo non est in loco. Non est verbum Dei; ergo non est Divinæ autoritatis.

Canones Comparati.

(1) *Quod est in nobiliori subjecto, id si bonum est, melius est eo, quod est in subjecto ignobiliori.*

Ut, gratior est pulchro veniens è corpore virtus. Sic virtus melior est sanitate; quia virtus in animâ est, sanitas in corpore; animus

mus autem nobilior est corpore.

(2) *Quod est in nobiliori subjecto, id si malum est, deterius est eo, quod est in subjecto ignobiliori.*

Ut, vitia morbis deteriora sunt, quia vitia in animo sunt, morbi in corpore.

CAPUT XV.

De Loco ab Adjuncto.

Adjunctum est, quod alicui præter essentiam adjungitur.

Ut, scientia est adjunctum animæ; vestis corpori.

Canones hujus Loci Comparati.

(1) *A quo subjectum bonum nominatur, id melius est eo, à quo non nominatur bonum.*

Ut, probitas præstantior est opulentia, ex probitate enim nominamur boni: non autem ab opulentiâ.

(2) *Eorum, quæ ambo subjectum bonum faciunt, id melius est, quod subjectum majori bonitate afficit.*

Ut, fides præstantior est prudentiâ; charitas fortitudine; gratiæ divinæ virtutibus civilibus.

Sub

Sub Adjuncto continentur Proprietates, Objecta, Signa, Circumstantiæ. De his itaq; proximè agendum.

CAPUT XVI.

De Loco à Proprietate.

PRoprium est, *quod non declarat quid res sit, & tamen soli inest, & cum eâ reciprocatur.*

Ut, visibilitas in homine; quantitas continua in corpore naturali. Omnis enim homo est visibilis, & omne visibile est homo.

Canones Absoluti hujus Loci.

(1) *Cui proprietas tribuitur, ei subjectum tribuitur.*

Ut, est visibilis; ergo est homo. Christus est omniscius, ergo est Deus.

(2) *Cui non tribuitur proprietas, ei neque subjectum tribuitur.*

Ut, non est extensum; ergo non est corpus: non est longum; ergo non est linea.

(3) *Quod de proprio dicitur, id dicitur etiam de subjecto.*

Ut, Garrulus est fugiendus; ergo & percontator;

contator ; nam garrulus idem eſt.

(4) *Quod de proprio dici nequit, id etiam de ſubjecto dici nequit.*

Ut, rei fragili ac fugaci fidendum non eſt ; ergo nec formæ, quæ bonum fragile ac fugax eſt.

CAPUT XVII.

De Loco ab Objecto.

Objectum eſt circa quod aliqua res operando occupatur.

Ut, color eſt objectum viſûs.

Canones Abſoluti hujus Loci.

(1) *Cui tribuitur objectum, ei tribuitur etiam ſubjectum.*

Ut, ædificat domum ; ergo eſt architectus. Peritè tractat arma ; ergo eſt miles. Divino cultu honoratur ; ergo Deus habetur.

(2) *Cui objectum non tribuitur, ei neque ſubjectum tribui poteſt.*

Ut, non delectatur mundo muliebri ; ergo mulier non eſt. Non honoratur ; ergo non habetur pater : non timetur ; ergo non eſt Dominus.

Canones

Canones Comparati.

(1) *Quod versatur circa præstantius objectum, id ipsum quoque præstantius est.*

Ut, Philosophia præstantior est Medicinâ: quia illa circa animum, hæc circa corpus versatur.

(2) *Id ex quo majora bona sequuntur, melius est.*

Ut, ex pietate sequuntur bona æterna, ex opulentiâ bona tantùm temporalia; ergo pietas melior est opulentiâ, & præstat pium esse, quàm opulentum.

(3) *Id melius est, ex quo minora mala sequuntur.*

Ut, amittere vitam minus est malum, quàm amittere animam; ergo si aut neganda fides fuerit, aut amittenda vita propter fidem: melius est fidem confiteri, unde sequitur amissio tantùm vitæ, quàm fidem negare, cui consequens est amissio animæ.

CAPUT

CAPUT XVIII.

De Loco à Signis.

Signum est, quod seipsum sensibus, & id cujus signum est, intellectus offert.

Ut, pedis humani vestigium in arenâ vel nive, se visui, sed *hominem* intellectui offert.

Signum est triplex, (1) *Antecedens, quod signatum antecedit*; sic aurora signum est Solis ortûs. (2) *Consequens, quod signatum consequitur*; sic pallor est signum mortis. (3) *Conjunctum, quod cum signato conjungitur*; sic pulsus inæqualis signum est febris.

Hujus Loci Canones.

(1) *Posito signo antecedente, consequente, aut conjuncto, ponitur res signata.*

Ut, aurora apparet; ergo orietur sol. Fugit; ergo conscius est detectæ conjurationis. Pulsus est inæqualis; ergo febricitat.

(2) *Sublato signo antecedente, consequente, aut conjuncto, tollitur res signata.*

Ut, non conscribitur miles; ergo non erit bellum. Accusatus non expalluit; ergo criminis reus non erit. Non titubat; ergo ebrius non est.

CAPUT

CAPUT XIX.

De Loco à Circumſtantiis.

Circumſtantia eſt, quod circa rem eſt, eive adjacet, aut appoſitum eſt.

Ut, locus, tempus, veſtitus, armatura, &c. ſunt circumſtantiæ perſonæ.

Hujus Loci Canones.

(1) *Poſitâ circumſtantiâ rei, ponitur res ipſa.*

Ut, furatus eſt ex loco ſacro; ergo Sacrilegus eſt. Venit ver; ergo flores inveniuntur. Incedit cucullatus; ergo eſt Monachus.

(2) *Sublatâ circumſtantiâ, tollitur res ipſa.*

Ut, non erat Titius Romæ, cum occiſus eſt Sempronius; ergo Titius non occidit Sempronium. Cajus non erat natus, cum id bellum geſtum eſt; ergo ei bello nec præfuit, nec interfuit. Diſceditur utrinq; ab armis; ergo bellum non eſt. Non incedit togatus; ergo non eſt Scholaſticus.

Hactenus de argumentis à locis *conſentaneis*: agendum deinceps de argumentis à locis *diſſentaneis*.

CAPUT

CAPUT XX.

De Loco ab Oppositis in genere.

Oppositа sunt, quæ neq; de se invicem, neq; de eodem tertio, secundum idem, ad idem, eodem modo atque tempore verè affirmari possunt.

Hujus Loci Canones.

(1) *De quo affirmatur unum oppositorum, de eo negatur alterum.*

Ut, est equus; ergo non est leo. Est albus; ergo non est niger. Est pater; ergo non est filius. Est cæcus; ergo non videt.

(2) *Oppositorum prædicata sunt opposita.*

Ut, albor visum disgregat; ergo nigror visum congregat. Justus est qui servat leges; ergo injustus qui leges transgreditur.

CAPUT XXI.

De Loco à Disparatis.

Disparata sunt, quorum unum pluribus opponitur eodem modo.

Ut, homo & equus ſunt diſparata, quia homo non equo ſolùm, ſed etiam cani, leoni, cæteriſq; beſtiarum ſpeciebus eodem modo, hoc eſt eodem oppoſitionis genere opponitur.

Hujus Loci Canon Comparatus.

(1) *Cum duorum alterum negamus nobis ineſſe, ut alterum nobis arrogemus, illud quod videri volumus nobis ineſſe, judicamus eſſe præſtantius.*

Ut, ſi quis neget ſe laborioſum, ut ingenioſus videatur, is melius judicat eſſe ingenioſum, quàm laborioſum.

CAPUT XXII.

De Loco à Contrariis.

Contraria ſunt duo abſoluta, quæ ſub eodem genere plurimùm diſtant.

Ut, albor & nigror ſub genere coloris, juſtitia & injuſtitia ſub genere habitus plurimùm diſtant, adeoq; contraria ſunt.

Contraria vel Mediata ſunt, vel Immediata.

Contraria mediata ſunt inter quæ medium utriuſq;

utriusq; contrarii particeps interjectum est.

Ut, tepor est medium inter calorem & frigus.

Contraria immediata sunt, inter quæ nihil medii interjectum est utriusq; contrarii particeps.

Ut, rectum & obliquum. Omnis enim linea recta est, vel obliqua: neque est ulla partim recta, partim obliqua.

Canones Loci hujus Absoluti.

(1) *Quod suscipit unum contrariorum, id etiam suscipit alterum.*

Ut, aqua potest frigere; ergo & potest calere.

(2) *Quod unum contrariorum non suscipit, id neque alterum suscipit.*

Ut, lapis non est justus; ergo nec injustus est.

(3) *Contrariorum sunt contrariæ causæ.*

Ut, virtus est à bonâ consuetudine; ergo vitium est à malâ consuetudine.

(4) *Contrariorum contrariæ sunt effectæ.*

Ut, virtus efficit beatos; ergo vitium facit miseros. Calor ceram liquefacit; ergo frigus indurat.

(5) *Contrariorum contrariæ sunt adjunctæ.*

Ut, virtus optanda est; ergo vitium est fugiendum.

N. Hic cavendum, (1) nè accipiantur *causæ aut effecta per accidens.* Non enim sequitur vir bonus suos amat; ergo improbus odit, quia suos amare non est virtutis, sed naturæ.

(2) *Nè adhibeantur causæ quarum effecta pendent à dispositionibus materiæ.* Nam ob materiæ dissimilitudinem fit sæpè, ut eadem causa contrarios producat effectus; aut causæ contrariæ effectus similes. Nam calor indurat lutum, & emollit ceram. Sic minæ idem efficiunt in quibusdam, quod in aliis preces; nempe quia causa efficiens non agit secundum modum virtutis suæ, sed secundum modum subjectæ materiæ.

(3) *Contrariorum immediatorum necesse est alterum inesse subjecto capaci, alterum non inesse.*

Ut, numerus non est par; ergo est impar.

Canones Comparati.

(1) *Quod à suo contrario longiùs abscedit, illud id magis tale.*

Ut, quod minus est album, magis est nigrum.

(2) *Cujus contrarium est deterius, illud ipsum est melius.* Ut,

Ut, improbitas est deterior morbo; ergo probitas est melior sanitate.

(3) *Cujus contrarium est melius, illud ipsum est deterius.*

Ut, probitas melior est sanitate; ergo improbitas est deterior morbo.

(4) *Cujus absentia, interitus, aut amissio deterior est, id ipsum est melius.*

Ut, jactura bonæ existimationis majus est malum, quàm jactura pecuniæ; ergo bona existimatio magis bonum est, quàm pecunia.

(5) *Cujus absentia, interitus aut amissio non est deterior, id ipsum non est melius.*

Ut, jactura pecuniæ non est majus malum, quàm jactura vitæ; ergo pecunia non est melius vitâ; seu majus bonum non est, quàm vita.

CAPUT XXIII.

De Loco à Relatis, sive Relativè oppositis.

Relativè opposita sunt, quæ id ipsum quod sunt oppositorum esse dicuntur, vel alio quovis modo ad illa referuntur.

Ut, cum dicitur de eodem, quod eodem sit

reſpectu pater ac filius; qui' enim alicujus eſt pater: hujus quidem reſpectu dicitur pater, ſed hujus reſpectu non poteſt dici filius. Non enim fieri poteſt, ut idem ſit ejuſdem & pater & filius.

Loci hujus Canones Abſoluti.

(1) *Poſito uno relatorum, ponitur alterum.*

Ut, cui pater dominus eſt, ille patris ſervus eſt.

(2) *Sublato uno relatorum, tollitur alterum.*

Ut, Socii Romanorum non ſunt ſubditi Romanis; ergo Romani non ſunt eorum magiſtratus.

CAPUT XXIV.

De Loco à Privantibus, ſeu Privativè oppoſitis.

PRivativè oppoſita ſunt habitus & illius privatio.

Ut, viſus & cæcitas; ſcientia & ignorantia; lux & tenebræ.

Hujus

Hujus Loci Canon Abſolutus.

(1) *Privantium alterum, neceſſe eſt ineſſe ſubjecto capaci, alterum non ineſſe.*

Ut eſt cæcus; ergo non videt. Videt; ergo non eſt cæcus.

CAPUT XXV.

De Loco à Contradicentibus.

Contradicentia ſunt ens & non ens oppoſita.

Ut, homo, non homo. Videt, non videt. Eſt albus, non eſt albus.

Hujus Loci Canones Abſoluti.

(1) *Poſito uno ex contradicentibus removetur alterum.*

Ut, feverè dicitur, Socrates videt; tam falsò dicitur, Socrates non videre.

(2) *Remoto uno contradicentium, ponitur alterum.*

Ut, ſi falsò dicitur quod Socrates non ſit albus, tum verè dicitur Socrates eſſe albus.

CAPUT XXVI.

De Loco à Majori.

MAjus est, *cujus quantitas excedit.* N. Hic excessus est vel *mole*, vel *virtute*, ac perfectione.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Cui convenit majus, ei etiam minus convenit.*

Ut, dedit Deus hominibus vitam; ergo dabit alimentum. Potest Milo ferre taurum; ergo multò magis potest ferre vitulum.

(2) *Quod non convenit majori, id neque minori convenit.*

Ut, Longimio non potest pedes transire mare; ergo Nanus non potest id facere.

Canon Comparatus.

(1) *Quod est magis tale majori, etiam est magis tale minori.*

Ut, sanitas est majus bonum, quàm divitiæ; ergo si virtus sit præstantior sanitate, erit etiam præstantior divitiis.

CAPUT

CAPUT XXVII.

De Loco à Minore.

Minus est, cujus quantitas exceditur.

N. Is excessus est vel *mole*, vel *virtute*, seu perfectione.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Cui non convenit minus, ei neq; majus convenit.*

Ut, non potest ferre vitulum; ergo multò minùs ferre potest taurum.

(2) *Quod convenit minori, convenit etiam majori.*

Ut, potest claudus duo millia passuum uno die ire, ergo multò magis potest is, qui integer est pedibus.

Canon Comparatus.

(1) *Si minus est magis tale, etiam majus erit magis tale.*

Ut, si aurum est præstantius argento, multò magis est virtus argento præstantior.

CAPUT

CAPUT XXVIII.

De Loco à Paribus.

Paria sunt, quorum una est quantitas.
N. Hæc paritas est vel *mole*, vel *virtute*, seu perfectione.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Paribus paria conveniunt.*
Ut, Davidi licuit edere panes propositionis ad sedandam famem; ergo ad famem similiter sedandam licuit Christi discipulis die Sabbathi spicas vellere.

(2) *Cui unum parium convenit, ei & alterum convenit.*
Ut, Christus habuit potestatem edendi miracula; ergo & habuit potestatem remittendi peccata.

(3) *Cui unum parium non convenit, ei neq; alterum convenit.*
Ut, Virum magnanimum non decet incessus concitatus; ergo nec eum decet oratio concitata ac præceps.

(4) *Quod convenit uni parium, id etiam convenit alteri.*
Ut, potuit Orpheus inferos adire; Quidni ergo

ergo posſit Æneas illi generis nobilitate non inferior?

(5) *Quod uni parium non convenit, id neq; alteri convenit.*

Ut, non potuit *Tyrus Alexandri* impetum ſuſtinere; ergo neque *Hieruſalem* ſuſtinuiſſet, ſi *Alexander* eam oppugnâſſet.

Canones Comparati.

(1) *Si unum parium eſt magis tale, etiam alterum erit magis tale.*

Ut, ſi duorum ponderum æqualium alterum tertio gravius fuerit aut levius, etiam alterum erit tertio gravius aut levius.

(2) *Quod eſt magis tale uno parium, etiam eſt altero magis tale.*

Ut, ſi duorum ponderum æqualium altero tertium gravius fuerit, aut levius, etiam altero erit tertium illud gravius aut levius.

(3) *Si unum genus ſit magis tale altero, quod in excellentiori genere eſt maximè tale, id magis tale erit illo, quod maximè eſt tale in genere, minus excellenti.*

Ut, ſi ſcientia ſit præſtantior arte, tum nobiliſſima ſcientia erit præſtantior nobiliſſima arte.

(4) *Si prædicatum abſolutum abſoluto ſubjecto ſuâ naturâ conveniat, incrementum prædicati*

dicati conveniet incremento ſubjecti.

Ut, ſi quod honeſtum eſt bonum ſit : tum id quod honeſtius eſt, erit melius ; & quod honeſtiſſimum, optimum.

At ſi prædicatum ſubjecto non convenit naturâ ſuâ, fallax erit Canon. Non enim ſequitur, ſi exercitatio corporis eſt bona, major erit melior, & maxima optima. Nam exercitatio non eſt ex ſe, ac naturâ ſuâ bona, ſed quatenus eſt moderata.

CAPUT XXIX.

De Loco à Simili.

Similitudo eſt convenientia in qualitate, aut paſſione, aut ſitu.

Similia dicuntur, quorum una eſt qualitas, paſſio, vel ſitus.

Canones Loci hujus Abſoluti.

(1) *Similibus ſimilia conveniunt ; ſive ſimilium ſimilis eſt ratio.*

Ut, vaſcula anguſti oris ſuperfuſam abundè humoris copiam reſpuunt, ſenſim inſtillatam admittunt : ergo tenella diſcentiam ingenia præcepta diſciplinarum paulatim propoſita

posita capiunt faciliùs, quàm confertim.

(2) *Quod uni similium non convenit, id nec convenit alteri*: h. e. non potest esse tertium hujus comparationis, secundum quod aliqua dicuntur similia.

Ut, si geminorum fratrum *Sosiarum* sibi similium, alter *Davo* facie similis non est, nec alter ei facie similis erit.

(3) *Simile non est idem* (sc. essentiâ vel numero) *ei cui simile est.*

Ut, *Davus* similis est *Syro*; ergo *Davus* alius est, quàm *Syrus*, sive non est idem qui *Syrus*; vel *Syrus* non est.

(4) *Omne simile est etiam dissimile*: h. e. nulla similitudo tam exacta est, quin possit cum eâ stare aliqua dissimilitudo.

Ut, dato quòd *Sempronius* & *Titius* sint similes formâ, dissimiles tamen esse possunt scientiâ vel habitu.

N. Ad hunc sensum dici solet, *Omne simile claudicat*; &, *Nullum simile currit quatuor pedibus.*

Canones Comparati.

(1) *Quod similius est ei quod tale est, aut magis tale, id ipsum est magis tale.*

Ut, *Ajax* similior est fortitudine *Achilli*, Græcorum fortissimo, quàm *Ulysses*; ergo *Ajax Ulysse* fortior est.

N. Ob-

N. Obſervandum hìc, ut ſimilitudo inſtituatur in proprio genere. Non enim ſi quis *Achilli* ſit ſimilior iracundiâ altero, ideò quoque erit illo fortior, ſed tantùm iracundior.

(2) *Quod non eſt ſimilius ei, quod tale eſt, aut magis tale, id ipſum quoque magis tale non eſt.*

Ut, *Titius* non eſt prudentiâ ſimilior *Soerati* Græcorum ſapientiſſimo, quàm *Sempronius*; *ergo Titius non eſt prudentior Sempronio.*

CAPUT XXX.

De Loco à Diſſimili.

Diſſimilitudo eſt diverſitas in qualitate, aut in paſſione, aut in ſitu.

Diſſimilia ſunt, quorum diverſa eſt qualitas, vel paſſio, vel ſitus.

Ut, album & rubrum ſunt diſſimilia colóre. Doctus & indoctus ſunt diſſimiles ſcientiâ. Formoſus & deformis ſunt diſſimiles formâ. Curvatus & rectus diſſimiles ſunt figurâ. Civitas in colle, diſſimilis eſt civitati in planitie, quoadſi tum.

Hujus

Hujus Loci Canones.

(1) *Dissimilibus similia convenire non est necesse.*

Ut, Dissimilis est ratio hominum & bestiarum: non ergo si omnia inter bestias communia sunt, debebunt & omnia inter homines etiam esse communia.

(2) *Dissimilium uni quod convenit, non convenit alteri.*

Ut, dissimilis est finis piorum & impiorum; ergo si pii in fine erunt beati, miseri in fine erunt impii.

N. Intelligendus est Canon respectu ejus Tertii, in quo est dissimilitudo.

Atque hactenus de *Argumentis Artificialibus.* Agendum deinceps de *Argumentis Inartificialibus:* quæ, ut dictum supra est, nihil aliud sunt quàm Testimonia.

CAPUT XXXI.

De Loco à Testimonio.

Testimonium est sententia testis.

Testimonium duplex est, Divinum & Humanum.

Testi-

Testimonium divinum est, quod habet autoritatem sive dignitatem divinam; Ut testimonium Dei tum per se, tum per Scripturam loquentis.

Testimonium humanum est, quod habet autoritatem humanam; Ut testimonia artificum, legumlatorum, &c.

Hujus Loci Canones Absoluti.

(1) *Testimonium divinum est fortissimum, & per se fide dignum.*

(2) *Ad certitudinem testimonii divini proximè accedit testimonium sensus, tum externi, tum interni : quò pertinet testimonium conscientia.*

(3) *Nullum testimonium humanum, quà humanum est necessariæ veritatis.*

(4) *Quod tacito omnium consensu nititur, præ cæteris verisimile est.*

Excipiuntur vulgi errores, quos respuunt cordati homines.

(5) *Dissidentibus hominum testimoniis, quod plures & sapientiores testantur, credibile est esse verum.*

(6) *Artifici perito credendum est in suâ arte.*

(7) *Si de verbis quæstio est, usitatissima sunt optima.*

(8) *In*

(8) *In quæstionibus de jure, plurimùm valent leges, plebiscita, senatusconsulta, placita principum, edicta, responsa prudentum, acta publica, consuetudo, sententiæ in simili causâ latæ.*

(9) *In quæstionibus de facto adhibentur testes, Chirographa, confessio sive voluntaria, sive tormentis extorta.*

(10) *Testimonium negatum non probat.*

Neque enim sequitur, *Aristoteles* aut *Plato* non dixit; ergo ita se non habet.

At si dicatur, *Aristoteles* & *Plato* dixerunt ita se non habere, sequitur, probabile esse rem se ita non habere.

Tandem in rebus facto ac creditu ad salutem necessariis, Scripturarum Testimonia negata probant.

Sequitur enim, Nihil dicit de hac Scripturâ; ergo ad salutem non est necessarium, nempe ex Hypothesi, quòd Scriptura omnia ad salutem necessaria continet.

Canones Comparati.

(1) *Quod Deus dicit, credibilius est, quàm quod homines dicunt.*

(2) *Quod sapientes dicunt, credibilius est, quàm quod dicit vulgus.*

(3) *Quod plures dicunt, credibilius est,*

quàm quod dicunt pauciores.

(4) *Quod artifices periti dicunt, credibilius est, quàm quod dicitur ab imperitis.*

(5) *Quod quisque contra se testatur, credibilius est, quàm quod testatur pro se.*

Atq; hactenus de Locis Dialecticis.

CAPUT

DE INVENTIONE RHETORICA.

CAPUT I.

Loci Rhetorici, qui, & quotuplices sint.

Loci Rhetorici sunt, ex quibus Rhetores quædam propria sibi Argumenta ad persuadendum idonea petunt.

Loci Rhetorici vel sunt *Speciales* singulorum è tribus causarum generibus, vel *Communes* omnium.

τρία γένη τῶν λόγων τῶν ῥητορικῶν, συμβουλευτικὸν, δικανικὸν, ἐπιδεικτικὸν. Arist. Rhet. l. 1. cap. 1.

Causarum tria illa genera sunt *Demonstrativum*, *Deliberativum*, & *Judiciale*.

Speciales Loci seorsim in singulis causarum generibus tradentur.

Communes omnium generum loci sunt

(1) *Possibile* & *Impossibile*, quibus docetur aliquid fieri potuisse, vel non potuisse fieri.

(2) *Magnum* & *Parvum*, quibus per collationem ostenditur esse aliquid alio majus vel minus, melius vel pejus, utilius vel inutilius, honestius vel inhonestius.

CAPUT II.

De Genere Demonstrativo.

* ἐπιδεικτικῷ δὲ τὸ μὲν ἐπαινὸς, τὸ δὲ ψόγος. Arist. Rhet. l. 1. c. 1.

Demonstrativum Genus est, quo personam, factum, vel rem propter honestatem ad delectandos auditores laudamus, vel ad eosdem movendos ad detestationem propter turpitudinem * *vituperamus.*

Laudando exponimus bona quæ alicui insunt, vel quæ non insunt mala dicimus.

Vitupe-

Vituperando exponimus, vel quæ bona alicui desunt, vel quæ mala alicui insunt.

Et quibus à locis argumenta ad laudandam personam, factum, vel rem ducimus, ab iisdem ferè argumenta ducimus, ad personam, factum, vel rem vituperandam. Nempe si laudata bona illis defuerint, vel si illis inerunt contraria mala.

CAPUT III.

Quomodo laudantur vel vituperantur Personæ.

Laudantur vel vituperantur Personæ ab *Ortu*; à *Vitâ*, à *Morte*.

Ab Ortu laudantur Personæ.

(1) Si honesto quis genere ortus sit, honestosq; habuerit parentes, avos, consanguineos, affines.

(2) Si illustri qui sunt orti genere, huic pari gloriæ splendore responderint, vel præluxerint.

(3) Si quibus obscurum genus est, hi id virtute, rebus præclarè à se vel in pace, vel in bello gestis, opibus, vel honoribus illustraverint.

(4) Siqui in patriâ præclarâ nati sint, vel

in eâ diu commodè acceptéq; vixerint.

(5) Si in patria humiliore nati, vel commorati, eam ortu vel vitâ rebusq; gestis illustrem reddiderint, aut ratione quacunq; exornaverint.

(6) Siqua admirabilia divinitùs missa nascentium ortum præcesserint, (nempe prodigia, auguria, oracula, fausta in somnis visa vel audita nascituris de infantibus præsagia) vel in ipso nativitatis tempore accederint.

(7) Si diebus albis, festis, vel ferialis nati fuerint.

(8) Si nascentium sexus potior, nobiliore fuerit.

Contra *ab Ortu vituperantur Personæ.*

(1) Si infami quis sit oriundus genere, dedecorosq; habeat parentes, avos, consanguineos, vel affines.

(2) Si illustribus qui prognati sunt parentibus, generi suo virtute & honoris splendore non respondeant, nedum præluxerint.

(3) Si quibus obscurum genus est, illud non virtute rebusq; præclarè à segetis illustraverint.

(4) Si quibus genus est illustre vel honestum, illud turpitudinis suæ infamiâ dedecorârunt,

râruntvel obscuraverint. Quo spectat id quod olim dictum est, *Heroum filii noxæ.*

(5) Si inhonestis qui parentibus, consanguineis, vel affinibus, genere proximi sunt, vitiis, infamiâ, turpitudine illis pares, vel superiores fuerint.

(6) Si qui in patriâ præclarâ vel nati sunt, vel vivunt, flagitiosâ eam vitâ deturpent, vel etiam non cattâ sanctaq; vivendi ratione exornent.

(7) Si infami quî in patriâ nati sunt, majoris adhuc illi infamiæ notam ex turpitudine suâ inuri fecerint.

(8) Siqua infausta futuri dedecoris turpitudiniſq; præsagia nativitatum ortum præcesserint; vel siqua ipso in ortu læva tristiaq; omnia acciderint.

(9) Si diebus nefastis atq; postriduanis nigroq; notandis carbone nascantur.

(10) Si sexus illis inferior ignobiliorve obtigerit; ut si Puella, vel *Hermaphroditus* nascatur.

Atq; hoc modo laudantur vel vituperantur personæ ob Ortu.

A Vitâ laudantur Personæ.

(1) *Ratione bonorum corporis*, quæ sunt sanitas, robur, agilitas, pulchritudo, integritas.

(2) *Ratione bonorum animi*, quæ sunt vel insita, vel acquisita.

Insita animi bona sunt indoles, ingenium, judicium, industria, docilitas, memoria.

Acquisita sunt *Virtutes*—

—Tam *Intellectuales*, sc. intelligentia, scientia, sapientia, ars, & prudentia

—Quàm *Morales*—

—Tum *illæ quæ nos dirigunt in ordine ad nos ipsos*, sive versentur *circa effectus*, quæ sunt fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, modestia, mansuetudo; sive versentur *circa conversationem*, quæ sunt veracitas, comitas, urbanitas; —

—Tum *illa*, *quæ nos dirigit in ordine ad alios*, nempe justitia, tam *universalis*, quæ nos dirigit ad bonum publicum totius civitatis, quàm *particularis*, quæ ad privatum singulorum civium bonum nos dirigit.

(3) *Ratione bonorum fortunæ*, quæ sunt opes, sive privatæ, sive cum imperio; tum amici (præsertim si virtute sint parati) prudentiâ, potentia, opulentiâ, dignitate clari; item affines illustres; liberi deniq; plures indole, ingenioq; bono præditi.

Nempe si, cui hæc fortunæ bona obvenerunt, is rectè illis usus fuerit, vel si, cui non obvenerunt, is sapienter iis caruerit; vel deniq, si, qui ea amiserit, illorum jacturam animo is æquo pertulerit. (4) *Ra-*

(4) *Ratione institutionis*; ut siquis vitam prudenter ab initio institerit, vel malè à primo institutam in meliorem postea mutaverit.

(5) *Ratione Educationis*; ut si quis claros apud viros educatus fuerit; si honestis studiis animum adjunxerit; si disciplinæ bonæ observantior fuerit; si consiliis rectis auscultaverit; si à peritis præceptoribus imbutus fuerit; si sub præstanti reipublicæ genere adoleverit.

(6) *Ratione Actionum*; ut si quis præclaras quas res publico vel privato, suo vel aliorum bono gesserit; hostes debellaverit, templa ædificaverit, egenos sublevaverit, &c.

(7) *Ratione Honorum*; ut si quis officia, magistratus, imperia, sacerdotia, &c. debitè adeptus fuerit, dignéq; functus fuerit; vel si præmia, triumphos majores, minores, coronas, vel torques aureos, &c. suo sit merito consecutus; nec delatis sibi vel honoribus, vel præmiis fuerit inflatus, sed modestè se in magno & honore & gloria gesserit.

Contra *à Vitâ vituperantur Personæ.*

(1) *Ratione bonorum corporis*, qui valetudine sunt infirmâ, corpore debili, inhabili, prægrandi, vel perexiguo, voce exili, facie deformi, &c. Hinc *Martial.* *Crine*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus :
Rem magnam præstas, Zoile, si bonus es.

(2) *Ratione bonorum animi*, qui sunt indole malâ, ingenio pravo, judicio perverso; item qui sunt desidiosi, hebetes, atq; indociles, oblivioſi, &c. qui deniq; sunt vitiis dediti, moribus perditi.

(3) *Ratione bonorum fortunæ*, quibus nullæ nec privatæ, nec publicæ opes obtigerunt; quibus nulli sunt vel amici, vel affines, vel liberi, saltem qui dignitate vel facultatibus, virtute vel ingenio inclarescant; item quibus omnia sunt deplorata & perdita, res, amici, affines, liberi; qui porrò illa fortunæ bona, quæ sibi obvenerunt, malè usurpârunt; deniq; qui neq; possunt illis animo æquo carere, neq; illa, si privati eis fuerint, patienter amittere.

(4) *Ratione Institutionis*, qui vitam ab initio flagitiosè instituerint, vel benè à primo institutam (virtute nuncium remittentes) in deteriorem postèà mutaverint, vitiisq; se ingurgitaverint.

(5) *Ratione Educationis*, qui apud infames viros fuerunt educati, atq; ab imperitis vitioſisve corruptoribus potiùs quàm præceptoribus

ceptoribus imbuti ; qui ſtudiis inhoneſtis, inanibus, inutilibus ſe dediderunt ; qui rectè monentibus aſperi, immorigeri, diſciplinæ bonæ minùs obtemperantes fuerunt ; qui conſiliis ſunt pravis uſi ; deniq; qui ſub malo reipublicæ genere, vel ſub bono quidem, ſed temporum & morum vitio luxu, libidine, cæteriſq; lamentandis diſcinctorum adoleſcentum corruptelis perdito, florentis uſq; ætatis tempus tranſegerunt.

(6) *Ratione Actionum*, qui flagitioſis quibuſcunq; facinoribus & vitam deturpârunt, & famam dedecorârunt ; vel etiam nullis præclarè à ſe geſtis rebus, vel ſibi fuerunt laudi, vel aliis emolumento.

(7) *Ratione Honorum*, qui nullis vel ſuis meritis, vel bonorum ſuffragiis ad ſplendorem & dignitatem emerſerunt, nullaq; rectè factorum præmia acceperunt ; item qui ad dignitatem evecti ad honorum claritate, aut præmiorum amplitudine intumeſcunt, atq; vel aſperè vel inſolenter ſemet gerunt.

Et hoc modo laudantur & vituperantur Perſonæ à vitâ.

A Morte deniq; laudantur Perſonæ.

(1) *Ratione generis mortis* ; ut ſi ſit matura, ſi placida, ſi honeſta, ſi ſecundum naturam. (2) *Ra-*

(2) *Ratione causæ mortis*; ut si quis propter patriam in bello occubuerit; si propter veritatem in pace animam potuerit; si egregios in bonum publicum spectantes labores exantlando mortem sibi accersierit.

(3) *Ratione circumstantiarum moriendi*; ut si quis fortiter in bello, si patienter in pace decubuerit; si res suas moribundus ritè ordinaverit; si moriens animam suam Deo piè commendaverit.

(4) *Ratione eventuum post mortem*; ut si illustri pompâ funebri mortui efferantur; si sit accessura reipublicæ magna illorum morte jactura; si magnus sit, aut publicus, bonorum mortuos deflentium luctus; si habiti sint defunctis honores, putà statuæ erectæ cum inscriptione honorificâ, vel conscripta Epicædia, Epitaphia, &c. in defunctorum laudem; si fuerint in Divorum numerum ascripti, feriis festisve solennibus in annos commemorandi concelebrandiq;.

Contra *à Morte vituperantur.*

(1) *Ratione generis mortis*; putà si præmatura sit, si rabida, si inhonesta, si non secundum naturam, sed manu vel suâ conscita, vel aliorum illata, vel divinitùs inflicta, sive per morbos fœdos atq; insolitos, sive per bestias, leones,

leones, serpentes, pediculos, sorices; qualis erat mors *Herodis*, *Arrii*, *Juliani*, *Hattons*.

(2) *Ratione causæ mortis*; ut si nullâ honestâ causâ acciderit, sed vel per imprudentiam, intemperantiam, stolidamve audaciam sit festinata; vel in impietatis, perduellionis, cujusvisve aliûs sceleris pœnam à Deo, vel hominibus, irrogata.

(3) *Ratione circumstantiarum moriendi*; nimirùm si quis in bello turpiter fugiens occidatur; si in pace divinæ renitens voluntati occumbat; atq; moriendi impatiens obtorto quasi collo ad mortem trahatur; deniq; si moriturus res suas vel malè distribuerit, vel omninò non ordinaverit, adeò ut creditores justè debitis fraudentur, liberisve atq; consanguineis de hæreditate adeundâ lites relinquantur.

(4) *Ratione eventuum post mortem*; veluti siquis diù neglectui habitus insepultus jaceat, tandemq; aut abjiciatur in fossam tanquam canis, aut projiciatur in sterquilinium tanquam asinus, vel quibuscunq, aliis afficiatur dehonestamentis; tum si publicum ex morte ejus exoriatur gaudium; item si ejus mortui rescindantur publicâ cum detestatione decreta, dejiciantur statuæ, deturpentur imagines; deniq; si è regum, principum claro-

clarorumve virorum albo nomine eradatur, aut insuper convitiis, opprobriis, dicteriis publicè proscindatur.

Atq; hæc de ratione seu laudandi, seu vituperandi *Personas.*

CAPUT IV.

Quomodo laudantur vel vituperantur Facta.

Facta laudantur ab *Honesto*; ab *Utili* seu commodo; à *Difficili*; deniq; à facti Circumstantiis.

Honestum est id, quod est honore dignum, cuique honor debetur. Quale est omne id, quod est decorum, legitimum, justum, pium vel glorioſum, quæ honesti quasi parti sunt.

Decorum est id, quod facientem pro conditionis suæ statu decet.

Legitimum est, quod legibus divinis & humanis, item consuetudini seu civili, seu ecclesiasticæ est consentaneum.

Justum sive æquum est, quo unicuiq; quod est suum, quodq; est par ut habeat, tribuitur.

Pium est, quod sanctè ac religiosè erga Deum præstatur; vel quo sanguine junctis, patriæq; debitum officium cultusq; exhibitur.

Glorio-

Glorioſum eſt, quod cum egregiâ nominis famâ eſt conjunctum.

Quæ ergo facta honore digna ſunt, ut quæ facientem deceant, legibus & conſuetudinibus ſint conſentanea, erga homines juſta & æqua, in Deum aut in homines religioſa & pia, & cum egregiâ nominis famâ conjuncta, ea juſtam laudis materiam dicenti præbent.

Utile ſeu commodum illud eſt, quod quâcunque ratione prodeſt, ſive adferendo aliquid boni, quod non erat, ſive conſervando id boni, quod erat, ſive depellendo aliquid mali, quod vel incumbebat, vel imminebat.

Quibus ergo factis boni aliquid adfertur, vel conſervatur, vel aliquid mali depellitur, ex his facienti laus exoritur.

Difficile eſt, quod non niſi tempore longo, neq; ſine magno vel labore, vel ſumptu fiat.

Qui ergo hujuſmodi aliquid minimo cum negotio, ſumptu aut tempore confecerit, quod non ſine magno labore, ſumptu ac tempore ab aliis confici ſolitum ſit, permagnam is inde laudem reperturus eſt.

Circumſtantiæ, unde facta laudantur, ſunt *Perſona, Res, Cauſa, Tempus, Locus, Modus,* quæ ſi omnes facto adſint, quales adeſſe oporteat, magna hinc illi conciliatur & laus & decus. Pertinet enim ad facti laudem—

—Quod

—(1) Quod *à tali* factum sit; ab eoq; vel primo, vel solo, vel cum paucis, vel præcipuè. Hinc *Cicero* ad *Cæsarem* de conservato *Marcello* dicit, *Hujus gloriæ socium habes neminem.*

(2) Quod *spectet ad laudem vel civitatis, vel authoris sui*, adeò ut novos inde honores consecutus sit.

(3) Quod *justâ* sit de *causâ* factum, *bonumq;* ob *finem.*

(4) Quod sit factum *tempore maximè necessario, vel opportuno*, vel etiam quod *sæpius.*

(5) Quod factum *loco commodissimo* fuerit.

(6) Quod factum fuerit *modo & debito*, & *digno.*

Contra *vituperantur Facta.*

(1) *Ab Inhonesto*, quod est quicquid dedecus meretur, & disertim omne *indecorum, illicitum, injustum, impium*, & *ignominiosum*, quæ inhonesti quasi partes sunt.

Indecorum est, quod turpitudinis aliquid sibi adjunctum habens facientem pro conditionis suæ statu dedecet. Ut si vir muliebriter rixetur.

Illicitum est, quod ulli legi divinæ, vel humanæ

humanæ repugnat, consuetudine vel civili, vel Ecclesiasticæ dissentit.

Injustum est, cum alicui vel suum adimitur, vel quod par est, non tribuitur.

Impium est, cum debito Deus vel parentes officio privantur, vel etiam cum aliquid contra officium utrisq; eorum debitum peragitur.

Ignominiosum est, quod facienti infamiæ maculam inurit.

(2) *Ab Inutili*, quod *est quicquid nihil confert neq; ad illud boni, quod non erat adferendum; neq; ad illud boni, quod erat, conservandum; neq; ad illud mali, quod vel imminebat, vel incumbebat, depellendum.*

(3) *Ab incommodo*, quod *est quicquid facienti aliisve perniciem seu damnum infert; maximéq; si cum publicæ rei malo, vel damno, pernicie, vel dispendio fiat.*

(4) *A Facili*, quod *est quicquid brevi tempore, atq; exiguo vel labore, vel sumptu conficitur.* Nam qui rem aliquam factu facilem, quæ & breve intra tempus, & citra magnum vel laborem, vel sumptum fieri potuisset, non nisi longo tempore, nec nisi magno molimine confecerit is, vituperandus erit.

(5) *A Circumstantiis*; nempe si non omnes debitæ adsint. *Bonum enim non est nisi ex integrâ causâ, malum verò quolibet ex defectu.*

Ei ergo factum aliquod vituperationi est, vel——

(1) Quod is id fecerit, quem intra officium vel pietas, vel gratitudo cohibere debuisset; item si ante illum nemo tam improbus extiterit, ut id faceret; tum quod alios sibi in societatem sceleris asciverit, aliisve se adjunxerit; deniq; quod tantò sceleri non interfuerit modò, sed & præfuerit.

(2) Quod ejusmodi facinus sit, ut propter rei turpitudinem vel perniciem, vel novæ sint conditæ leges, vel graviores constitutæ pœnæ, ad illam in posterum cohibendam & devitandam.

(3) Quod nullâ sit justâ de causâ factum, nec fine bono; quin potiùs causâ malâ, & fine pernicioso.

(4) Quod semel tantùm factum sit (si naturâ suâ bonum est) & id tempore quam maximè alieno: vel (si naturâ suâ sit malum) quod sit sæpiùs repetitum.

(5) Quod sit loco perincommodo factum, & quo minimè fieri debuisset.

(6) Quod nec digno nec debito modo factum sit, sed modo planè indigno, atq; prorsus indecenti.

Atq; hæc de *Factorum* tam *laudatione*, quàm *vituperatione* dicta sunto.

CAPUT

CAPUT V.

Quomodo laudantur vel vituperantur Res.

Laudantur Res à cauſis, ſubjecto, adjuncto, objecto; origine, conſequente; antiquitate; & honeſtate.

(1) *A Cauſis*: quò enim nobilior cujuſvis rei cauſa fuerit, eò præſtantior erit cenſenda res ab illâ producta.

Cauſæ rerum ſunt Efficiens, Materia, Forma, Finis.

Ab Efficiente laudatur res, ſi à nobili profecta ſit Auctore, vel à perito ſi Artifice confecta ſit. *Qualis enim efficiens, talis*, ut plurimùm, eſt *effectus*.

A Materia laudatur res, ſi ea ſit pretioſa, utiq; ex auro, argento, gemmâ, ebore, &c. *Quò enim cujuſvis rei materia eſt excellentior, eò illud ipſum excellentius eſt.*

A Formâ laudatur res, ſi ea aliquid præſtantiæ habuerit. *Quod enim nobiliorem habet formam, id etiam ipſum nobilius existimandum eſt.* Hinc homo nobilius existimatur eſſe animal, quàm canis.

A Fine laudatur res, ſi in bonum uſum, publicum vel privatum ſeu commodum, ſive

honorem designetur. *Quò enim quid ad meliorem refertur finem, eò ipsum melius est.*

(2) *A Subjecto laudatur res*, si præstanti subjecto inhit. Quod enim in nobiliori est subjecto, id si bonum est, melius est eo, quod est in subjecto minùs nobili. Hinc dictum, *Gratior est pulchro veniens è corpore virtus.*

(3) *Ab Adjuncto laudatur res*, si quid sibi adjunctum habeat quod ei possit esse laudi. Ut si rei forma exterior sit elegans, pulchra, speciosa, artificiosa.

(4) *Ab Objecto laudatur res*, si id, circa quod versatur, dignitatis aliquid in se habuerit. Quod enim præstantius circa objectum versatur, id ipsum quoq; præstantius esse, habendum est.

(5) *Ab Origine laudatur res*, si in ipsis jam existendi primordiis clara, nobilis, illustrisve fuerit.

(6) *Ex Consequenti laudatur res*, pro eo atq; majus bonum, vel minus malum eam sequitur. Id enim ipsum melius est, ex quo vel majora bona, vel minora mala sequuntur.

(7) *Ab Antiquitate laudatur res*, si priscis temporibus extiterit, multos annos perduraverit, statumve & vigorem suum diutiùs retinuerit.

(8) *Ab*

(8) *Ab Honestate laudatur res*, si ejusmodi sit, ut ex eâ splendor aliquis, atque illustris honos emanaturus sit.

Contra *Res vituperatur.*

(1) *A Causis:* quò enim ignobilior cujusq; rei, causa fuerit, eò ignobilior erit ipsa res existimanda.

Ab Efficiente vituperatur res, si ab ignobili sit Auctore profecta, vel si imperium sit sortita Artificem. Qualis enim Efficiens fuerit, tale, maximam partem, est effectum.

A Materiâ vituperatur res, si ea vilis sit, nempe ferrum, lignum, lutum, stramen, vel quid hujusmodi. Quo enim vilior est materia, eo etiam vilius est habendum, id quod indè componitur.

A Formâ vituperatur res, si ignobili sit prædita forma. Quo enim ignobilior forma, eo ignobilior existimatur res, cujus forma est. Hinc bruta ignobiliora existunt animalia, quàm homines.

A Fine vituperatur res, si vel in malum usum, vel in nullum seu privatum seu publicum commodum, aut honorem sit designata. Quo enim deterior finis, eo est deterior res, quæ in istum est facta finem.

(2) *A Subjecto vituperatur res*, si subjecto

nobili insit res mala. Quod enim est in subjecto nobiliori, id, si malum, est deterius eo quod subjecto ignobiliori inest. Hinc vitia habentur deteriora morbis, quia vitia insunt in animo, morbi in corpore.

(3) *Ab Adjuncto vituperatur res*, si adjunctum sibi quid habeat, quod ei possit esse dedecori. Ut si exterior forma rei sit inelegans, deformis, indecora.

(4) *Ab Objecto vituperatur res*, si circa vile, aut humile objectum versetur. Quo enim vilius & inferius id est, circa quod res versatur, eo vilior & inferior habetur res ea, quæ in eo est occupata. Hinc *Claudiani* insignis Poetæ operi detracta laus, quod ignobiliore in argumento versetur.

(5) *Ab Origine vituperatur res*, si in ipso statim sui initio, ignobilis, exilis, obscurave extiterit.

(6) *Ex Consequenti vituperatur res*, proindè aq, minus bonum, vel majus malum illam consequitur. Ex quo enim majora mala vel minora bona consequuntur, id ipsum deterius est.

(7) *Ab Antiquitate vituperatur res*, si sit tempore collapsa, vel aliquatenus in deterius mutata. Quid quod vituperabilis vel indè res sæpè est, quod recens nata sit, nec quicquam præ se antiquitatis ferat.

(8) *Ab*

(8) *Ab Inhoneſto vituperatur res*, ſi talis fuerit, ut nullus indè honos, ſed potiùs dedecus, ignominia, atq; infamia exoritura videatur.

Atq; hæc de *Rerum* tam *laudatione*, quàm *vituperatione*.

Ad *Res* referuntur tum *Loca*, tum *Virtutes*, tum etiam *Vitia*. De his itaq; ſingulis deinceps dicendum, ſed ſic ut virtutes laudentur tantùm, non autem vituperentur, vitia verò tantùm vituperentur, non autem laudentur.

CAPUT VI.

Quomodo laudentur vel vituperentur Loca.

Loca laudantur ab iis ferè omnibus, quibus perſonæ vel res laudantur; præcipuè verò ab *Utilitate*, *Voluptate*, atque *Situ*.

(1) *Ab Utilitate laudatur locus*, ſi ſit fructuoſus: ubi ſunt enumeranda, & explicanda quæcunq; fuerint loci emolumenta, reditus, proventus.

(2) *A Voluptate laudatur locus*, ſi ſit amœnus: ubi recitandi & exornanda ſingula loci

oblectamenta, sive illa à naturâ sint orta, sive ab arte conquisita; qualia sunt ædificia, horti, prospectus maris, urbium, camporum, collium, fluviorum, vivariorum.

(3) *A Situ laudatur locus*, si sit commodus, vel (1) propter *propinquitatem* aut habitantium bonorum vicinorum, aut adjacentium uberum agrorum, aut præterfluentium magnorum fluminum, aut inibi enascentium perennium fontium, aut propè adnascentium nemorum & sylvarum, &c. vel (2) propter accessus aut *facilitatem*, si importandæ aut exportandæ res sunt; aut *difficultatem*, si interest, ut hostes ingressu prohibeantur.

Contra *vituperatur Locus.*

(2) *Ab Incommodo*: ubi singula loci incommoda commemoranda sunt; ut sterilitas agri, penuria aquæ, intemperies cœli, insalubritas soli, rimas agentes muri, ruitura ædificia, nocturnæ furiæ, bestiæ noxiæ.

(2) *Ab Inamœnitate*; ut si locus sit aspectu horridus, spatio angustus, cœno immersus, arboribus nudus, soli aversus, prospectu omni delectabili orbus.

(3) *A Situ*: ut si sit facilis aditu grassantibus hostibus; vel si sit difficilis ingressu & egressu ubi res importandæ & exportandæ erunt;

erunt; si jaceat inter præruptas rupes, & asperos sentes, vel prope uliginosos saltus, & stagnantes paludes; item si malos sibi habeat conterminos incolas & vicinos.

Et hæ de *Locorum*, & *Laudatione*, & *Vituperatione*.

CAPUT VII.

Quomodo laudantur Virtutes *& vituperantur* Vitia.

Virtutes laudantur vel *universè*, ut justitia, clementia, sapientia, &c. vel *in individuo*, ut justitia *Aristidis*, clementia *Cæsaris*, sapientia *Solomonis*, &c.

Utroq; modo consideratæ *virtutes*, sive Dianoeticæ illæ fuerint, sive Morales, *laudantur*.

(1) *A Definitione*, quâ per genus & differentiam virtutis laudandæ natura explicatur.

(2) *Ab Honesto*; quòd virtutes in laudandæ personæ honorem, decus, gratiam, gloriamve cedant, multumq; ei dignitatis adferant. Hinc *Sall. Cæsar dando, sublevando, ignoscendo, gloriam adeptus est.*

(3) *Ab Utili*, quòd virtutes, tum ad bono-

bonorum & acquisiti onem & conservationem, tum ad malorum depulsionem, seu devitationem plurimùm conducant.

(4) *A Necessario*, quòd sine virtutibus id boni, quod volumus, consequi nequeamus.

(5) *A Jucundo*, quòd inultum adferant virtutes, & suavitatis, & voluptatis, delectationis, & jucunditatis, tum ipsis bonis viris, tum etiam aliis.

(6) *A Facili*, quòd virtutum cognitio sit facilis, acquisitio expedita, praxis pravi, res negotii.

Quod si in illis acquirendis multum & operæ & industriæ sit ponendum, vel hinc illarum laus non exigua emerget: cum animis hominum penitùs insederit, pulchra esse quæ difficilia sunt.

Atq; hoc modo laudantur *Virtutes*.

Contra *vituperantur vitia* cum *universè*, ut avaritia, sævitia, ebrietas, &c. tum *in individuo*, ut avaritia *Midæ*, luxuria *Apicii*, sævitia *Neronis*, ebrietas *Bonosi*, &c.

Utroq; modo considerata *vitia* tam mentis, quàm morum *vituperantur*.

(1) *A Definitione*, quâ ex genere & differentiâ, explicatur, quid unumquodq; vitium sit, & quàm naturâ suâ turpe & fœdum sit.

(2) *Ab*

(2) *Ab Inhoneſto*, quòd vitia nomen deturpent, famam commaculent, honori detrahant, gloriæ derogent, dedecus inferant, ig nominiam contrahant, turpitudinem afferant, infamiam inurant.

(3) *Ab Incommodo*; quippè quia vitia extinguunt virtutes, corrumpunt mores, irritant Deum, accelerant pœnam. Hinc dictum, *Rarò antecedentem ſceleſtum deſeruit pede pœna claudo.* Hor.

(4) *A Voluntario*: quia nemo cogitur eſſe malus.

(5) *Ab Injucundo*: oriuntur enim ex quibuſdam peccatis corpore dolores; ut ex ebrietate, capitis vertigines; ex crapulâ, ventriculi acerbitates; ex laſciviâ, morbi articulares, &c. ex omnibus animo adveniunt timor & triſtitia, conſcientiæq; morſus & vulnera.

(6) *Ab Illicito*: quòd vitia divinæ ſint & naturæ, & lege, & vitæ contraria; bonisq; humani generis, & præceptis, & moribus, & conſuetudinibus adverſa.

Atq; hoc modo vituperantur vitia.

CAPUT

CAPUT VIII.

De Genere Deliberativo.

* Συμβουλῆς δὲ τὸ μὲν προτρεπτική, τὸ δὲ ἀποτρεπτική. Arist. Rhet. l. 1. c. 1.

GEnus *Deliberativum* est, quo rem quamlibet propter utilitatem, ad excitandam spem in auditoribus nostris * suademus; aut eandem propter inutilitatem, ad incutiendum illis metum * dissuademus.

Res, quæ in deliberationem suadendæ seu dissuadendæ veniunt, sunt vel *publicæ*, vel *privatæ*.

Publicæ res deliberandæ sunt *Pecunia* seu vectigalia; *Pax & bellum*; Regionum præsidia & custodia; quæ importantur & exportantur; deniq; *Leges*.

Privatæ sunt res quælibet contingentes, & in nostrâ positæ potestate.

CAPUT

CAPUT IX.

De Locis undè argumenta desumuntur ad suadendum aut dissuadendum.

LOci undè argumenta desumuntur ad res suadendas dissuadendasve sunt, *Legitimum, æquum, pium, utile, necessarium, jucundum, possibile, facile, decorum, glorioſum,* & *his contraria,* item *eventus.*

Locus primus est *Legitimum,* quo nomine appellatur id, *quod juri scripto, seu divino seu humano, consuetudiniq; seu civili, seu Ecclesiasticæ est consentaneum*: (ut supra dictum est) Unde ad suadendum ducitur argumentum potens.

Huic contrarium est *Illicitum*, quod *est quicquid vel lege, vel consuetudini est adversum*: unde dissuadendi argumentum non leve ducitur.

Secundus est *Æquum,* quod *est cum unicuique tribuitur, quod est par ut habeat.*

Huic contrarium est *Iniquum, cum alicui non tribuitur, quod ut habeat, par est.*

Ab æquo suademus; dissuademus ab iniquo.

Tertius

Tertius est *Pium*, quod *est cum Deo, patriæ vel consanguineis debitus cultus, officiumq; præstatur.*

Hinc argumentum ad suadendum ducitur; nempe si id quod suadetur, vel (1) cultum divinum promoveat, vel (2) parentum, affinium, vel civium charitatem spectet; vel (3) aliquid sit, quo aut benè meritis gratia refertur, aut improborum audacia frenatur, aut bonis signum ad benè sperandum ostenditur.

Huic contrarium est *Impium*, quod *est cum quid contra officium Deo, patriæ, vel consanguineis debitum peragitur, vel etiam cum debitus iis cultus & officium negligitur.*

A Pio suadetur res, ab Impio dissuadetur.

Quartus est *Utile*, quod *est quicquid bonum adfert conservatve, vel malum avertit depellitur.*

In hoc loco consideranda duo sunt. (1) Quid futurum sit, si negotium suscipiatur. (2) Quid consecuturum sit, si negligatur.

Ad prius pertinent bonorum partorum conservatio; non partorum comparatio; & malorum præsentium depulsio, imminentium evitatio.

Ad posterius pertinent bonorum partorum amissio, speratorum frustratio, & malorum

lorum præsentium continuatio, imminentium expectatio.

Huic contrarium est *Inutile* & *Damnosum*: *illud cum nihil commodi; hoc cum etiam aliquid incommodi sit ex facto eventurum.*

Et ut utilitatis consideratio magnam habet vim ad suadendum, ita consideratio vel inutilitatis, vel damni magnam in dissuadendo vim habet.

Quintus est *Necessarium*, quod *est, quicquid est tale, ut ei nulla vi resisti possit, quodq; nec mutari, nec leniri potest.*

Hujus loci magna est ad persuadendum vis, præsertim apud segnes & torpidos, qui abhorrent à labore atq; periculo. Sed primò est demonstrandum esse aliquid utile, tum esse necessarium.

Huic contrarium est *Arbitrarium*, *cum nullâ necessitudine cogimur ad aliquid vel agendum, vel omittendum, sed in arbitrio est nostro positum utrum agamus quid, an non.*

Hinc potens ducitur argumentum ad dissuadendum; quorsum enim te non necessario vel labori vel periculo ingeras, cum, si tibi libet, ab utroq; esse immunis potes?

Sextus est *Jucundum*, quod *est quicquid animi, corporisve, aut utriusq; delectationem, voluptatemq; adfert.* Hujus

Hujus consideratio multùm valet ad persuadendum.

Huic contrarium est *Injucundum*, quod *est quicquid nullâ vel corpus, vel animum delectatione afficit, sed utriq; aut alterutri dolorem, aut molestiam adfert, voluptatem & delectationem aufert, vel imminuit.*

Cujus quidem consideratio non exiguam ad rem quamlibet dissuadendum vim habet.

Septimus est *Possibile*, quod *est quicquid fieri potest, cuiq; nulla tanta resistit vis, ut effici nequeat.*

Huic contrarium est *Impossibile*, id nempe *quod fieri non potest, cuiq; tanta obsistit vis, ut nullo possit pacto effici.*

Quemadmodum autem non parùm valet ad suadendum aliquid, si demonstretur non esse impossibile; ita si impossibile esse demonstretur, per plurimùm id ad dissuadendum valet. Imò frustra suadetur, quod fieri non posse ostenditur.

Octavus est *Facile*: quod *est, quicquid sine magno, aut sine ullo labore, sumptu, molestiâ, quàm brevissimo tempore confici possit.*

Multùm conducit hujus consideratio ad suadendum.

Facilè autem quid fieri posse suadetur, vel ab

ab occasione seu opportunitate, vel à circumstantiis, vel ab exemplis, & experientiâ nostrâ, vel aliorum.

Huic contrarium est *Difficile*, quod *est quicquid fieri nequit, nisi magno cum labore, aut molestiâ, aut sumptu, vel non nisi tempore longo, sic tamen ut his susceptis difficultatibus, compleri tandem atq; ad exitum perduci possit.*

Hujus autem rei consideratio immensum quantùm valet, præcipuè apud quosdam, ad eos à suscepiendis rebus dissuadendos atq; deterrendos.

Veruntamem etiam à difficultate suadebimus, dicendo eò magis esse rei incumbendum, quòd difficilis effectu sit; cum nihil magni magno sine labore, molestiâ, sumptu, aut periculo præstetur; præclaráq; esse, quæ difficilia fuerint.

Nonus est *Decorum*, quod *est, quicquid fieri decet, facientemq; honestat.*

Huic contrarium est *Indecorum*, quod *fieri non decet, quodq; turpitudinis aliquid sibi adjunctum habet.*

Quemadmodùm verò cuivis bono atq; ingenio homini facilè est persuadere, ut id faciat, quod ei decorum sit, ita non est difficile eundem ab eo faciendo deterrere, quod eum minimè deceat, atq; indecorum est.

Decimus est *Glorioſum*, quod *eſt, quicquid cum egregriâ nominis famâ eſt conjunctum.*

Id autem quod ſuademus, tale eſſe demonſtrabimus, ſi oſtendamus inde futurum.—

—(1) Ut gloria præſens conſervetur; nondum acquiſita comparetur. (2) Ut infamia præſens depellatur, imminens autem videtur.

Vel ſi oſtendamus, ni id fiat, quod ſuadetur, futurum——

(1) Ut præſens infamia permaneat, imminens eveniat.

(2) Ut præſens dignitas amittatur, ſperata nè obtineatur.

Vel ſi oſtendamus vel alios qui idem fecerunt, præclarum ſibi nomen inde peperiſſe; vel nos etiam hinc gloriam adepturos, quod in præclaro ita facinore nemo nos præiverit; quodq; id nos primi, & ſoli, vel cum paucis ſimus aggreſſuri, adeóq; aliis omnibus gloriam illam prærepturi.

Huic contrarium eſt *Infame*, quod *eſt omne illud*, quo *gloria minuatur*, vel *infamia inuratur.*

Hoc autem ſi futurum dici poteſt, vix eſt ut aliquid dicatur aliud, quod ad diſſuadendum potentius ſit.

Undecimus eſt *Evéntus.* Ubi, ut ſuadeamus,

mus, ostendendum rem (in utramvis partem ceciderit) nobis utilitati ac gloriæ futuram. Quod si ostendi potest, magnum habebit oratio nostra firmamentum ad persuadendum.

Ut autem dissuadeamus, ostendendum rem (utramvis in partem ceciderit) malè nobis cessuram, nulliq; futuram nobis vel utilitati, vel gloriæ; quin potrò damnum & dedecus allaturam non exiguum.

Consulantur porrò loci Dialectici à proproprio Adjuncto, ab Effectibus, ab Antecedentibus, Connexis, Consequentibus, à Majori, vel Minori, Contrario, Exemplo, Testimonio.

Maximam habent vim Exempla, si similium sint, neq; nimis condensentur.

Si comparatè quæratur, utrum è duobus altero sit utilius, honestius, præstantius, spectanda sunt in his *numerus*, *species*, *vis*, quædam etiam ad res aliquas *affectio*.

Quoad *Numerum*, anteponenda sunt plura bona paucioribus bonis; pauciora mala malis pluribus; diuturniora bona brevioribus; longè & latè pervagata angustis: ex quibus plura bona propagentur, quæq; plures imitentur, & faciant.

Quoad *Speciem*, anteponenda sunt ea, quæ propter se expetenda sunt, iis quæ pro-

pter aliud; ut & innata atq; insita, assumtis & adventitiis; integra contaminatis; jucundiora, minùs jucundis, honesta, ipsis etiam utilibus; proclivia laborioſis; necessaria, non necessariis, sua alienis; rara vulgaribus; desiderabilia iis, quibus facilè carere possis; perfecta, inchoatis; tota partibus; ratione utentia, rationis expertibus; voluntaria necessariis; animata inanimatis; naturalia non naturalibus; artificioſa non artificioſis.

Quoad *Vim*, efficiens causa gravior quàm non efficiens; quæ seipsis contenta sunt, meliora quàm quæ egent aliis; quæ in nostrâ, quàm quæ in aliorum potestate sunt; stabilia incertis; quæ eripi non possunt, iis, quæ possunt.

Quoad *Affectionem*, principum commoda majora, quàm reliquorum; item quæ jucundiora, quæ pluribus probata, quæ ab optimo quoq; laudata.

Atq; ut hæc in comparatione meliorâ, sic deteriora, quæ iis sunt contraria.

Si (quod sæpè fit) adversetur utili honestum, tum, si quod est utile suademus, demonstrabimus illud, ut esse utile, ita honestum, saltem non inhonestum. Sin, quod suademus, est honestum, demonstrabimus illud, ut esse honestum; ita & utile, saltem non inutile.

Si apud illos verba facimus, qui honestate parùm moventur, sic nobis agendum est, ut illorum curâ seriò tangi videamur.

Atq; hæc de Genere Deliberativo.

CAPUT X.

De Genere Judiciali.

Genus Judiciale est, quo propter æquitatem, de præterito disceptatur * accusando & defendendo, ad movendam in Judice vel clementiam, vel sævitiam.

* Δικῆς δὲ τὸ μὲν, κατηγορία, τὸ δ' ἀπολογία. Arist. Rhet. l. 1. cap. 1.

In disceptando qui alteri crimen intendit, *Actor* vel *Accusator* dicitur, qui verò intentum sibi ab altero crimen à se depellit, dicitur *Reus* sive *Defensor*.

Hujus Generis Loci pro statuum varietate varii sunt.

Status quatuor sunt *Conjecturalis*, *Finitivus*, *Qualitatis*, & *Quantitatis*: qui singuli ex Accusatoris intentione, & Defensoris depulsione enascuntur: de quibus item singulis deinceps & ordine dicemus.

CAPUT XI.

De Statu Conjecturali.

Status Conjecturalis est, in quo quæritur an res facta sit, nec nè.

Huic statui locus est, cum quod Accusator contendit factum esse, id Defensor negat esse factum.

Dicitur autem *Conjecturalis*, quia cum ex alterâ parte *Accusator* contendit aliquid esse factum, ex alterâ verò parte *Defensor* negat id factum esse, Judici relinquitur conjectandum, utrum id factum fuerit, nec nè.

Loci unde Accusator eliciet argumenta ad probandum factum sunt, (1) *Facientis Voluntas & Facultas*; (2) *Facti Signa & Testes*.

Voluntas arguitur vel ex *causis*, cur quis velit, vel ex *signis* quod voluerit. Facilè quippe is aliquid voluisse creditur, cui fuerant *causæ* cur id vellet, quive se id velle quibuscunq; signis ostenderit.

Causæ voluntatis sunt primò ira, amor, odium, invidia, inimicitia, cupiditas, aliæq; affectiones, quæ agentem intùs ad agendum proritare solent: tum spes non tantùm facinoris ex sententiâ perficiendi, sed etiam ex

per-

perfecto vel consequendi bonorum, præmii, voluptatis, honoris, emolumenti, &c. quæ agentem extrinsecùs ad agendum incitant; vel evitandi malorum, damni, pœnæ, doloris, infamiæ, &c. quæ effugere malefici pro lucro habent.

Huc accidit, cùm quis opinatur, vel se posse nihil ampliùs damni facere; vel si damni aliquid patiatur, fore tamen ut plus sibi inde emolumenti, quàm damni adveniat.

Item cùm opinatur fieri posse, ut licèt impunis non evadat, pœnæ tamen vel in longum tempus differantur, vel saltem leviores, quàm lex imperat, irrogentur.

Signa voluntatis sunt dicta, scripta, gestus, facta.

Facultas arguitur ex circumstantiis tum *Personæ* scilicet bonis animi, corporis, fortunæ, patriâ, genere, sexu, natalibus, educatione, studiis, consiliis, rebus gestis, &c. (de quibus suprà dictum in *Genere Demonstrativo*) tum *Rei*, nempe occasione, loco, tempore, aliisq; quæ ad Rei naturam pertinent.

Ut, potuit hic illum occidere, quia viribus valentior fuit, & armorum scientior; item quia opportunum ad illud est nactus tum locum, tum tempus, locum solum, at tempus obscurum.

Cùm quid mali perpetratum est, argumento est quempiam id perpetrâsse, quòd perpetrare potuerit, si præterea ullo ostenderit pacto id se item velle, vel si nemo alius sit, à quo id fieri posse videatur.

Facti signa, vel ea sunt quæ *antecedunt*, vel quæ *comitantur*, vel quæ *consequuntur* factum.

Qualia sunt cædis signa *antecedentia* minæ, armorum sumtio, insidiarum structio; *comitantia* ictuum sonus, vociferantium clamor; *consequentia*, gladius cruentus; rei ex loco, ubi cædes est perpetrata, egressi festinatio & fuga, deprehensi pallor & trepidatio, accusati dejectus vultus, verba tertiata, &c.

Ex antecedentibus præcipuè probatur voluisse, ex comitantibus & consequentibus colligitur fecisse.

Facti deniq; *testes* summam ad probandum facinus vim habent, præsertim si oculati fuerint, & fide digni; vel si quid fuerint ipsi adversum se confessi, sive sponte suâ, sive in tormentis.

Aliquid porrò, utut non omninò tantùm firmamenti ad probandam accusationem adferunt testes auriti; quin & rumores de facto orti, quos Accusator dicet temerè nasci non solere, quiq; cur immeritò fingerentur, causam esse nullam. Con-

Contra *Defensor* id operam dabit, uti hæc omnia refellat.

Contendat *primò* se adeò illud, quo de accusatur, non feciſſe, ut nec voluerit: tum non exiſtere ullas, nedùm illas cauſas, quæ adductæ fuerant, cur id velit; deinde eſſe cauſas illaſq; permultas, & quidem graves, cur diverſum ab eo, quod acciderit, optet; porrò quæ adhibita ſunt argumenta ad probandum ſe voluiſſe, aut omninò eſſe falſa, adeò ut iis credi non oporteat, vel ita eſſe levia, ut nihil ponderis apud Judicem habere debeant; præterea nihil tam à rectâ ratione abhorrere, fidemq; omnem ſuperare, quàm ut quis id velit loco incommodo, & tempore alieno facere, qui ſæpè antè à commodiore & loco & tempore id facere potuerit, nec tamen fecerit; adhuc ita fuiſſe nihil ſibi emolumenti inde perventurum, ut fuerit potiùs damnum facturus, quàm maximum; poſtea non potuiſſe fieri, ut id multùm auferret, quin expectaret fore, ut breve intra tempus peccati ſui pœnas daret, cum certiſſimas tum ſeveriſſimas: poſtremò quæ adducuntur ut à ſe dicta, ſcripta, vel facta, ad ſuadendum Judici voluiſſe, vel omninò eſſe nulla, vel prorsùs alia, vel alio & animo, & fine dicta, ſcripta, factáve.

Contendat *ſecundò* ſibi, ut id maximè voluerit,

luerit, defuisse tamen facultatem, quâ efficere potuerit; non eas fuisse sibi ingenii vires, non illud corporis robur, non tantam opum affluentiam, uti nec ita vel opportunum locum, vel tempus idoneum; quin potiùs iis se fuisse impeditum rerum pedicis, eo distentum locorum intervallo, eâve coarctatum temporis angustiâ, ut tam sit impossibile, ut faciat, quàm incredibile, ut etiam velit.

Contendit *tertiò* signa, quæ adducuntur, fallacia esse, adeò ut certum ex iis judicium ferri nequeat; potuisse aliis ex causis oriri, præter illas, quæ assignantur; imò aliud prorsus illis significari.

Sic, cui objicitur ab Accusatore timor, respondeat, timorem illum non ex *peccati conscientiâ*, sed ex *periculi magnitudine* enatum.

Contendat *deniq;* Testes vel *ineptos* esse, ut qui auriti tantummodo sint, nec quicquam præter auditum habeant: vel *corruptos*, ut qui vel turpis sint conditionis, vel improbis moribus, vel nullâ fide; vel *falsos*, ut qui vel sibi invicem adversentur atq; contradicant; porrò quod adversum se sit fassus, excidisse sibi intervento, elapsum oblito, extortum territo; adeóq; nullam debere se adversum vim habere; deniq; nihil posse esse certi in illis, quæ per tormenta exprimuntur; cùm alii tormentis se offerant, nè vera fateantur,

alii

alii verò inter tormenta quidvis pro re natâ confingant, quo celeriùs è non ferendo illo dolore liberentur.

Atq; hæc de ſtatu Conjecturali.

CAPUT XII.

De Statu Finitivo.

Status Finitivus eſt, in quo quæritur, hoc an alio res ſit appellanda nomine, & quid tandem ſit.

Finitivus dicitur, quia in eo agitur de *rei* vel *nominis* definitione, ut inde appareat *rem*, de quâ quæritur, hanc verè eſſe, quæ dicitur, vel aliam; & hoc, vel alio eſſe *nomine* appellandam.

Hic utiq; tam *Actori*, quàm *Reo* videndum, ut, quantùm fieri poteſt, breviter, apertè, dilucidè ad germanam verbi vim ac ſenſum definiat, ſuamq; definitionem & ſententiam rationibus, & ſimilibus, & exemplis confirmet, adverſamq, reprehendat & enervet.

Contendat *Accuſator* nequaquam eſſe concedendum, ut qui de *re* confitetur, is ſe *verbi interpretatione* tueatur.

Defenſor autem ex contrario contendat iniquum

iniquum prorsus esse, ut qui *rei æquitate* nititur, depravatâ *verbi interpretatione* opprimatur. Et in hoc genere, similibus, contrariis, consequentibus utatur.

Et hæc de Statu Finitivo.

CAPUT XIII.

De Statu Qualitatis.

Status Qualitatis est, in quo quæritur, *quale* sit id, quod est factum: nempe cum factum quidem reus concedit, sed tamen jure factum esse contendit.

Hic *Status*, quod in eo *de facti jure* contenditur, *juridicialis* porrò dicitur.

In facti jure defendendo contenditur, vel ex *ratione*, vel ex *legis scriptive sententiâ*.

Quando ex *ratione* contenditur, tum dicitur inde hic *Status Rationalis*: quando ex *Legis Scriptive sententiâ*, tum propterea hic Status dicitur *Legalis*.

Rationalis Status duplex est, *Absolutus* & *Assumptivus*.

CAPUT

CAPUT XIV.

De Statu Absoluto.

Absolutus Status est, cum simpliciter id, quod est factum, rectè esse factum contenditur.

Jus facti defenditur à *naturâ, lege, consuetudine, judicato, æquitate, pacto.*

(1) *A Naturâ*, cujus jure factum esse dicitur. Ut si quis latronem se in viâ grassantem occiderit: cum ipsa nos natura vim vi repellere doceat.

(2) *A Lege*; ut si nocturnum quis furem in ædes irrumpentem necaverit, jure id factum esse contendat, quod lege cautum sit, ut qui noctu furtum faciens occisus fuerit, jure cæsus habeatur.

(3) *A Consuetudine*; quippe quod bonâ cum ratione videatur nobis id licere facere, quod antiquâ consuetudine sit usitatum, & ab aliis factum sæpius.

(4) *A Judicato*: ut si alios hujus criminis priùs pro tribunali arcessitos ostendamus esse ejusdem absolutos.

(5) *Æquitate*; ut si quis in eas redactus angustias, ut nullo pacto effugere possit, quin aut alterum se vi & armis adorientem occi-

dat,

dat, vel se ab ipso occidi sinat, suæ potiùs, quàm alienæ vitæ parcat, & æquitate facti se defendat.

(6) *Pacto*; ut si quis furti accusatus, quòd alienum equum ex possessoris agro surripuerat, contendat se id ex pacto inter utrosq; feciſſe: sic quippe inter hos conventum, ut si *Actor Reo* pecuniæ summam huic debitam intra præstitutum diem non solvisset, tum *Reo* integrum esset, *Actoris* equum, quocunq; eum inveniret loco, apprehendere, abducere, & pro suo habere.

Et hæc de Statu Absoluto.

CAPUT XV.

De Statu Assumtivo.

Assumtivus Status est, in quo ad illud, quod per se laudabile non est defendendum aliquid aliunde assumitur, quo defendatur.

Id quod aliunde ad aliud defendendum assumitur, dicitur *Color*.

Color assumitur vel ex *comparatione*, vel ex *relatione*, vel ex *remotione*.

(1) *Ex Comparatione assumitur Color*, cum id,

id, quod factum est, cum deteriore confertur, quod alioqui faciendum fuisset, & contenditur satius fuisse, ut fiat hoc, quàm illud.

Ut si Prætor obsessæ urbis deditionem sic defendat, ut dicat melius fuisse, ut urbs salva in Imperatoris fidem acciperetur, quàm ut postquàm omnia nequicquam & fecisset, & perpessa esset, tandem vi vel fame expugnata, irrumpentium militum manibus & diriperetur, & deleretur.

Actor contendat aut non fuisse necesse, ut alterutrum fieret, ostendatq; quid aliud in eo casu fieri vel potuit, vel debuit: aut si alterutrum necesse fuerit, non esse hoc illo satius.

Ut si dicatur vel potuisse defendi diutiùs urbem, saltem quoad auxilium illuc mitteretur, vel præstare ut obsessa urbs funditùs deleretur, quàm ut integra in potestatem hostium deveniret.

Reus diluat, quod ab Actore adducitur, & sibi objicitur, & insistat hoc, aut illud, faciendum fuisse, & hoc illo fuisse satiùs ut fieret.

Ut si dicatur consumptos esse omnes in urbe commeatus, ac proinde non diutiùs esse illam tenendam; fieri posse, imò sperandum fuisse, ut hostis inde breve intra tempus vel sponte decederet, vel vi expelleretur,

atq;

atq; ideò melius esse, ut conservanda dederetur, quàm ut expugnata destrueretur.

(2.) *Ex Relatione assumitur Color*, cum ejus, quod factum est, culpa illam in personam transfertur, cui damnum est datum.

Ut si *Oreſtes Clytemneſtrâ* matre suâ occisâ, sic se defendat, ut ipsam in matrem culpam conferat, ac dicat meritam fuisse illam, ut à se occideretur, quippe quæ antea *Agamemnona* patrem suum occidisset.

Hic contendat *Actor* vel illum, in quem culpa rejicitur, falsò ejus incusari criminis, propter quod damnum illud dicitur tulisse, vel ut maximè crimen illud in se admiserit, non tamen id tanti fuisse, ut idcircò sic cum illo agi mereatur: porrò non ideò huic peccandum fuisse, quòd peccaverat alter prior; tandem debuisse eum, qui peccaverat, publicum in jus vocari, non privatâ manu, causâ adhuc indictâ puniri. Ipsos deniq; Judices percontetur ecquod tandem futurum sit, eandem si viam insistant alii.

Reus contra peccati illius, propter quod alteri malum intulisset, atrocitatem, quibus poterit verbis, amplificet, & exaggeret: rem, locum, tempus Judicibus ob oculos ponat, ut inde appareat illum, qui malum acceperat, dignam scelere suo poenam subiisse. Contendat deniq; vel non potuisse rem in jus deduci, vel,

vel, si id fieri potuisset, tamen inutile fuisse.

(3) *Ex Remotione assumitur Color*, quando ejus, quod factum est, culpa, non in illam quidem personam transfertur, quæ malum acceperat, sed in aliam vel *Personam*, vel *Rem*.

In *Personam* sic transfertur culpa, ut hujus authoritate dicatur fieri, quod est admissum. Ut si qui *Sulpicium* occidit, id jussu *Consulum* se feciſse defendat.

In *Rem* sic culpa confertur, ut facti voluntas, seu intentio concedatur. Ut si, qui quod ex testamento facere sit jussus, non fecerit, prohibitum se lege, quo minus id faceret, contendat.

Si in *Personam* transferatur culpa, *Actori* erit contendendum, non fuisse eam rei istius autorem; vel si fuerit, non tamen tantæ fuisse autoritatis, ut ejus detrectare imperium non liceat; porrò potuisse huic vel obsisti, vel aliud persuaderi; deniq; non eo tolli culpam, quod quis ab alio inductus peccaverit.

Sin conferatur culpa in *Rem*, vel negandum erit omninò omne, quod de illâ dicitur, vel dicendum, non tanti esse, ut ejus causâ istiusmodi nefas committeretur.

Atq; hæc de Statu Assumtivo.

CAPUT XVI.

De Statu Legali.

Status Legalis est, cum in facti jure defendendo, de *Legis*, aut *Scripti* alicujus *sententiâ* aliquid controversiæ enascatur.

Legalis Status quadruplex est.

Primus est, cum existunt duæ pluresve leges sibi invicem sic contrariæ, ut alia jubeat, aut permittat, quod alia fieri prohibet, vel cum eadem lex secum pugnare videtur.

Aliquando enim duæ leges inter se pugnant, ut si, cum lege unâ statutum sit, ut Tyrannicidæ statua in gymnasio ponatur; alterâ verò sit cautum, nè mulieri statua collocetur in gymnasio, fœmina quæ tyrannum occidit, vult suam in gymnasio statuam collocari.

Aliquando lex una eademq; secum confligit: ut in hoc casu; Lex est, Rapta raptoris aut mortem eligat, aut nuptias. Unus vir duas rapuit virgines: quarum altera raptoris optat mortem, altera nuptias. Vel in hoc: Lex est, vir fortis, quòd volet poscito. Duo viri fortiter fecerunt, qui utriq; eandem sibi virginem postulant.

Hoc in statu, duæ si fuerint leges, conciliandæ

andæ ſunt, ſi fieri poteſt; ſin minùs, altera rejicienda. Cedere autem debent divinis legibus humanæ, & novis antiquæ, quæ illis vel totæ tolluntur, vel ex parte mutantur. Deinde præcipientis major eſt autoritas legis, quàm permittentis: quod enim præcipitur, neceſſarium eſt, quod verò tantùm permittitur, eſt voluntarium. Porrò legi, quæ aliquid particulatim prohibet, parendum potius eſt, quàm illi, quâ quid tantùm indefinitè jubetur. Speciale enim interdictum derogat ei, quod universè mandari videatur. Præfertur item lex, quæ publicum bonum ſpectat, ei, quæ bonum tantùm privatum reſpicit. Deniq; Legiſlatoris vel ſimpliciter, vel in re aliquâ ſapientoris, in alterutrâ vel retinendâ vel rejiciendâ lege conſideratio haberi ſolet.

Quod dictum eſt de contrariis legibus, idem etiam de contrariis teſtamentis, pactis, & ſimilibus dictum eſto.

Secundus eſt, cùm ſcripti *verba* à Scriptoris *voluntate & ſententiâ* diſſentire videantur, quo fit, ut litigantium alter ſcripti *verbis* utatur, alter Scriptoris *voluntate* nitatur.

Id tum accidit, cùm eſt in lege aliqua obſcuritas, & in eâ aut uterq; ſuam interpretationem confirmat, aut adverſarii ſubvertit.

Ut lex est, Ex meretrice natus nè concionetur. Quæ filium habebat, meretricari cœpit. Prohibetur adolescens concione. De ejus filio, quæ ante partum meretrix fuit, nihil est controversiæ; sed an eadem hujus sit causa, cujus post partum mater cœperat meretricari, dubium est; quia ex hâc natus est, & hæc meretrix est: verùm non erat meretrix cùm hic natus fuit, ideóq; nec tum meretricis filius.

Qui *scripti verbis* utitur, dicet, id nos sequi oportere, quod adeò & breviter, & apertè perscriptum est; aliud si scriptor voluisset, fuisse illud additurum; porrò rationem subjiciet, cur haud aliud voluerit, quàm scripserit; item exempla, similia, & res judicatas adducet; deniq; quàm sit periculosum à scripto recedere ostendet.

Qui verò *Scriptoris voluntate* nititur, dicet Scriptorem tantum scripsisse, quantum opus erat; nec scribendum putâsse, quod cuilibet per se liquebat; iniquum esse scripti potiùs verbis, quàm scribentis voluntati niti; contrariam sententiam refelli vel aliis legis ejusdem verbis, vel aliis saltem legibus, suam autem & legibus & naturæ esse consentaneam; exempla adferret, ubi Judices ex voluntate magis, quàm ex verbis controversiam decederint; contendet deniq; quantum potest,

teſt, id, quod ſcriptum eſt, ejuſmodi eſſe, ut ſervari non poſſit. Non enim, ut lex ſit, *Liberi parentes alant, aut vinciantur*, alligabitur tamen infans; cum, *ut infans parentem alat*, illud ſit, quod fieri nequeat.

Tertius eſt, cum id, quod nullâ propriâ lege cautum eſt, ex aliis *ratiocinando* colligitur.

Hic *Status* (ut inquit *Quintilianus*) ducit ex eo quod ſcriptum eſt, id quod incertum eſt: quod quoniam *ratiocinatione* colligitur, *ratiocinativus* dicitur. *Lib. 7. cap. 8.*

Sic arguitur plectendum eſſe, qui matrem pulsârit, licèt nullâ id lege cautum ſit, quia lex eſt plectendum fore, qui pulſâverit patrem. Sic non licet aratrum pignori accipere, ergo nec vomerem. Non licet *lanas* Tarento vehere, ergo nec *oves*.

Qui *ex ſcripto non ſcriptum colligit*, legem primò laudet & confirmet, tum id, de quo quæritur, tum in ſe eſſe æquum, tum rei de quâ ex ſcripto conſtat, ſimile eſſe oſtendat: dicat in lege contineri quod par eſt; & hâc de re nihil eſſe ſcriptum, tum quod nihil neceſſe erat, ut ſcriberetur, cùm ex cæteris de quibus ſcriptum eſt, intelligi poſſet, tum quod is, qui ſcribebat, neminem dubitaturum arbitratus ſit.

Contra autem qui dicet, si poterit, similitudinem infirmabat; illud, quod confertur, ab eo, cui confertur, diversum esse dicet; & quid res à re differt, demonstrabit. Sin minùs, negabit oportere quidquam, nisi quod scriptum sit, considerare; periclitari dicet omnia jura, si similitudines accipiantur; deniq; nihil pene esse, quod non alteri esse simile videatur.

Quartus est, cùm scriptum ita *ambiguum* est, ut duas pluresve res significet, unde incertum fit, quæ scriptoris sententia fuerit.

Ambiguum fit scriptum, cùm dubius est singulæ vocis *accentus*, aut *significatio*. *Accentus*, ut lépŏris, & lepŏris; *significatio*, ut Gallus. Utrum enim avem, an gentem, an nomen, an fortunam corporis significet incertum est.

Item cum alia *integro* verbo significatio est, alia *diviso*. Ut *ingenua*, & *in genua*; *armamentum*, & *arma mentum*.

Item cùm incertum est, quo verbum aliquod debeat referri. Ut cùm paterfamilias moriens sic testamento suo scripsit, *Hæres meus uxori meæ vasorum argentorum pondo centum, quæ volet, dato.* Post mortem contendit *uxorem* debere sibi à filio dari, quæ ipsa vellet vasa, ideóq; magnifica quæq; & pretiosè cælata petit. *Filius* contra, quæ

ipse

ipſe vellet, debere dicit, ac proinde deteriora quæque, & minoris pretii, pendit. Ut ambiguitas tolleretur, dicendum fuiſſet, quæ volet *ipſe*, vel quæ volet *ipſa*.

In conjunctis item vocibus multum eſt ambiguitatis, præcipuè per *caſus*: Ut cùm dictum eſt, *Aio te Æacida Romanos vincere poſſe.* Dubium enim eſt utrum Æacides Romanos, an Romani Æacida vincerent. Sic teſtamento quidam poni juſſit *Statuam auream haſtam tenentem*; Ubi quæritur, utrum ſtatua haſtam tenens aurea eſſe debeat, an haſta debet eſſe aurea in ſtatuâ alterius materiæ.

Cùm ſtatus hujuſmodi fuerit, dabit operam uterq; ut ſententiam ſuam ex omni conſideratâ Scripturâ, tam ſuperiore, quàm inferiore, perſpicuam faciat, & inde aliquid eliciat, quod ei, quod adverſarius intelligat, adverſetur: demonſtrabit id, quod ipſe intelligit, eſſe honeſtum, utile, neceſſarium, legi, conſuetudini, rectæq; rationi conſentaneum; at quod adverſarius dicit minimè eſſe ejuſmodi; deniq; oſtendet aliter ſcripturum fuiſſe legiſlatorem, ſic id intelligi voluiſſet, quod adverſarius ex ſcripto ejus colligit, cujus quæ fuerit ſententia non ex aliquo ſeparatim conſiderato verbo, ſed ex cæteris ejus ſcriptis, factis, dictis, animo atq; vitâ judicandum.

Et hæc de Statu Legali, adeóq; de toto Qualitatis Statu.

CAPUT XVII.

De Statu Quantitatis.

Status Quantitatis est, in quo de criminis magnitudine disceptatur.

Huic statui locus est, quando reus nec negat factum, nec defendit, sed concedit, & sibi ignosci postulat.

Hic *Actor* crimen exaggerabit, facinorisq; atrocitatem, quibus potèrit modis, demonstrabit.

(1) *Ab Animo depravato:* nempe quando ob levem causam injuria gravis facta est. Ut si quis viatorem spoliet unum ob nummum.

(2) *A Noxæ ratione, detrimentiq; magnitudine;* Ut si viatori non tantùm grandem quis pecuniam eripiat, sed vulnera infligat, mortem inferat.

(3) *A Patientis consideratione, cum is ejusmodi est, ut nec se queat illatâ ab injuriâ defendere, nec de inferente vindictam sumere,* sive quod minor viribus sit, sive quod judicium obtinere nequeat: item cum propterea

in

in seipsum graviter animadvertit; id quod fecit Lucretia, quæ à Sexto Tarquinio violata, ipsa sibi præ dolore & pudore mortem conscivit.

(4) *Ab Agentis conditione*; Ut si solus quis quid malè egerit, vel si primus, vel si cum paucis, vel si sæpe, vel si ejus propter nequitiam novæ vel leges ferantur, vel pœnæ statuantur, vel magnus sit ortu, loco, re, famâ: nam quo major is est, qui peccat, eo majus, quod peccatur, crimen habetur.

(5) *A Facti adjunctis*; Ut si cui consulto sit illata ab ullo injuria; vel si ea ingrato sit ab animo profecta, vel si plures in se injurias contineat, &c.

(6) *A Jure violato.* Nam si violatum jus non sit scriptum, eo major dicetur injuria, quod animi pejoris indicium sit. Quantò enim melior is habetur, qui non scriptum jus servat, tantò pejor is videbitur, qui id violat. Sin scriptum sit jus violatum, eo docebitur major esse injuria, quod propensi ad malum animi sit signum. Nam qui illa transilire non dubitat, quæ pœnæ obnoxia sunt, multò magis id facturus videbitur in iis, quæ à pœnis immunia fuerint.

Contra *Reus* licèt factum concedat, tamen culpam excuset, &, quantum poterit, se crimine purget. *Pur-*

Purgatio sic instituatur, ut nè voluntate peccâsse videatur, sed vel *imprudentiâ*, vel *casu*, vel *necessitate*.

(1) *Imprudentiâ*, cùm qui peccat, nescit id, quod agit, peccatum esse. Ut si quis de libero supplicium sumat tanquam de servo, cùm eum liberum esse nesciat.

(2) *Casu*, cum volenti id, quod debet facere, sic fortunæ vis aliqua obstiterit, ut id minus faciat. Ut si Imperator, amisso exercitu, se sic defendat, ut dicat, eum, non suâ culpâ, sed fortunæ iniquitate, amissum esse.

(3) *Necessitate*, cum impellente quadam non superandâ vi, id factum est, quo quis peccavit. Ut si in obsidione urbis interemtum à se mater filium comedat, factumq; excuset, quod eo rabie sit ac fame adacta. Vel si, qui ad dictum diem commeatus non tulisset, se excuset, quòd eum aquæ intercluissent.

Accusator iterum, quod voluntate factum negabitur, consulto fuisse factum regerat; ignorantiæ, casus, necessitudinis excusationem tollat; non hanc imprudentiam, aut casum, aut necessitudinem, sed inertiam, negligentiam, fatuitatem oportere nominari contendat; & quoniam necessitudo maximam videtur vim habere ad excusandum, id

inprimis

inprimis operam det, ut demonſtret, ſi qua neceſſitudo turpitudinem videbitur habere, mori ſatius fuiſſe, quàm ejuſmodi neceſſitudini obtemperare.

Ex adverſo *Defenſor* in defendendâ voluntate commoretur, & in eâ re adaugendâ, quæ voluntati fuerit impedimento: dicat ſe, plus, quàm fecerit, facere non potuiſſe; in omnibus rebus ſpectandam eſſe voluntatem, nec eſſe quicquam indignius, quàm eum, qui culpâ careat, ſupplicio non carere.

Atq; hæc de Purgatione.

CAPUT XVIII.

De Deprecatione.

SI ejuſmodi factum ſit, ut nec ejus poſſit jus defendi, nec culpa excuſari, tum ſe *Reus* ad *Deprecationem* conferat.

Deprecatio eſt cùm, qui factum concedit, ſibi tamen ignoſci poſtulat.

Reus à Judicibus hoc defenſionis modo liberari non poteſt: quo fit, ut rarò hoc genus cauſæ in judicium veniat.

In Senatu verò, & apud populum, & apud Principem, & ubicunq; juris clementia eſt, habet locum deprecatio. Ve-

Verùm & in judiciis, etiamsi non toto genere causæ, tamen ex parte magnâ hic locus sæpe tractatur. Nam & divisio frequens est, etiamsi fecisset, ignoscendum fuisse; idq; in causis dubiis sæpe prævaluit: & Epilogi omnes in eadem ferè materiâ versari solent.

Purgationi quidem sæpiùs subjicitur. Hinc *Cicero* in extremâ oratione pro *Ligario* sic ait: *Erravi, temerè feci, pœnitet: ad clementiam tuam confugio: delicti veniam peto, ut ignoscas oro. Si nemo impetravit, arroganter; si plurimi, tuidem fer opem, qui spem dedisti.*

Dicat, qui Deprecatione utitur, se innocentem antehac vitam traduxisse, nunc primùm peccâsse; commemoret, siqua sua poterit, beneficia, vel in alios, vel in rempublicam, & ostendat ea majora esse, quàm hæc quæ deliquerit: quin & majorum quoq; suorum beneficia, siqua extabunt, proferat; Ostenstat se, non odio, non crudelitate fecisse, quæ fecerit, sed aut stultitiâ, aut impulsu alicujus, aut aliquâ honestâ, aut probabili causâ; polliceatur & spem faciat se in futurum & innocenter victurum, & aliquo in loco, iis qui sibi concesserint, usui futurum; propinquorum & amicorum, qui se salvum velint, nobilitatem, dignitatem, amplitudinem demonstret; aliorum, quibus majora delecta con-

conceſſa ſunt, exempla proferat; ſe miſericordem in poteſtate, & propenſum ad ignoſcendum fuiſſe oſtendat; peccatum ſuum, quantum poterit, extenuet, & demonſtret turpe eſſe, aut inutile, tale de homine ſupplicium ſumere: præſertim cum vel aliis incommodis, vel præſenti periculo, vel pœnitentiâ videatur ſatis pœnarum dediſſe.

Adverſarius autem Malefacta augebit; nihil imprudenter, ſed omnia ex crudelitate & malitiâ facta eſſe dicet: ipſum porrò immiſericordem fuiſſe, & ſuperbum; & vel ſemper inimicum fuiſſe, vel deinceps amicum fieri nullo modo poſſe. Beneficia ſiqua ſua reus proferat, aliâ illa eſſe factâ de causâ demonſtret, non propter benevolentiam, quum poſtea odium acre ſuſceperit; beneficia illa aut eſſe omnia maleficiis deleta, aut leviora quàm maleficia: & cum beneficiis honos ſit habitus, pro maleficio pœnam ſumi oportere: Deniq; ut ei ignoſcatur, aut turpe eſſe, aut inutile.

FINIS.

Books written by this Author, and Sold by *Joseph Clarke*, at the *Star* in *Little Brittain*.

1. A Treatise of English Particles, shewing much of the variety of their significations and uses, in English, and how to render them into Latine according to the Propriety and Elegancy of that Language.

2. A Dictionary of English and Latine Idioms, wherein *Phrases* of the English and Latine Tongue answering in Parallels each to the other, are ranked under several Heads, Alphabetically set.

3. An Explanation of *Lilly*'s Grammar in those Rules of it, ordinarily called *Propria quæ Maribus*, *Quæ genus*, and *As in præsenti*, by way of Question and Answer.

4. Some Improvements to the Art of Teaching, shewing a short, sure, and easie way to Variety and Elegancy in writing Latine.

5. *Troposchemetelogiæ Rhetoricæ*, *Libri duo*, the second Edition, much altered and amended.

6. *De Argumentorum Inventione, Libri duo, quorum prior agit de Inventione Logicâ, alter de Inventione Rhetoricâ, in studiosæ Iuventutis tam Scholasticæ quàm Academicæ usum conscripti.*